



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Beati Ambrosii Abbatis Generalis Camaldvlensis  
Hodoeporicon**

**Traversarius, Ambrosius**

**Florentiae, [1680?]**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65172)

Th

5096

Th. 5096.

2 P. IV, 58.









B E A T I  
A M B R O S I I  
A B B A T I S G E N E R A L I S  
C A M A L D V L E N S I S  
H O D O E P O R I C O N .  
A N I C O L A O B A R T H O L I N I B A R G E N S I  
C . R . C o n g r e g a t i o n i s M a t r i s D e i

*Collegii Publica luci affectum;*  
*Antis Jesu Paderbornae 1758*  
E X

B I B L I O T H E C A M E D I C E A .

A D

Illustriſſimum, & Ampliſſimum Dominum  
A N T O N I V M M A G L I A B E C H I .  
S E R E N I S S I M I  
M A G N I E T R V R I Æ D V C I S  
C O S M I I I I .  
B I B L I O T H E C A R I V M , & c .



F L O R E N T I A E , A c L u c æ a p u d M a r e ſ c a n d a l o s F r a t r e s .

S V P E R I O R V M P E R M I S S V



# APPROBATIO OPERIS.

Placeat P. Magistro Dominico Maria de Brancaccinis Seruite videre, si in Libro hoc sit aliquid dissonum S. Fidei & bonis moribus, & referat. Datum 30. Iunii 1678.  
Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.

Illustriss. ac Reuerendiss. Domine. Vrgente iussu Dominationis vestra, accuratè perlegi Opusculum, cui titulus est Hodeporicum Ambrosij Doctiss. & eloquentiss. Sanctæ Camaldulensis Eremitæ Prioris, & eiusdem Ordinis Generalis &c. Nihilque in eo inveni quod piæ læderet aures; sed omnia quæ eruditas oblectarem: tanta est enim in ipso pietas, ac zelus Monastica disciplinæ, ut omnibus Claustralibus Religiosis apprime profuturum existimem. Itaque in lucem, maximo Christianæ Reipublicæ emolumento, edi posse iudico. Florentia è Conuentu D. Annunciata. Die 2. Iulij 1678.

Ego Fr. Dominicus Maria de Brancaccinis Ordinis Seruorum B. M. V. Sereniss. Cosmi Tertij Magni Etruriæ Ducis Theologus.

Imprimatur.

Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.

Ad. R. P. Mag. Euangelista Tedaldi Ord. Seruor. B. M. V. & Conf. huius S. Off. videat presentem librum, cuius titulus est, Hodeporicon &c. & referat &c. hac die 2. Iulij 1678.

Fr. Cæsar Pallanicinus de Mediolano S. Off. Flor. Canc. de mandat. &c. Reuerendiss. Pater.

Presens Hodeporicon doctissimo Ambrosij Camaldulensis, nihil continet quod bonis moribus aduersetur, sed verè (uti Latine sonat) Iter ostendit, quo viri Religiosi in suis administrationib. tutè progredi valeant. Ideò vi Typis mandari possit, absolutissime censeo. Die 4. Iulij 1678.

Fr. Euang. Tedaldi Seruit. S. Off. Consult. Theol. Sereniss. Cosmi Tertij Magni Etruriæ Ducis.

Imprimat. die 4. Iulij 1678.

Fr. Cæsar qui supra de mandat. &c.

Mathæus de Mercatis Aduocatus pro Sereniss. Magno Duce Etruriæ &c.

Reimprimat. Die 1. Martij 1680.

Flamm. de Nobilib. Vic. Gen. Lucen.

Fr. Spada pro Excellentiss. Rep. Luc. de mandat. &c.

## Illustrissime, & Amplissime Domine.



AMBROSIVS Camaldulensis, non vno nomine  
Tuus, ad Te, virorum Cl. & Eruditissime, ite-  
rum redit, velut ad autorem suum ac fautorem  
singularem alterumque omninò parentem, qui  
nouos illum in vitæ ortus eduxerit, famæque in  
vlnas, immortalitatis in auras, ad gloriæ lucem,  
vnus ac princeps exposuerit. Tuo præsidio, nec  
vno prorsùs impendio, renatus; quòd obliuio-  
nis tenebris obsolescere: quòd putri intermori situ non vltèriùs re-  
formidet: quòd è cælo animam ducat, quòd colloquatur hominibus,  
quòd posteritatem inuisit, quòd committatur ætatibus, quòd eat in  
sæcula literarum; Tibi debet. Tuis sub auspicijs faustitatis omne  
punctum deuehentibus, Tui sub nominis sidere & horoscopo saluta-  
ri, vitæ vias rursùs ingreditur mortis domitor Heros iste Beatus, cu-  
ius in benedictione memoria, cuius astris inscripta pietas, cuius ani-  
mus Angelorum, quos hic penè æmulabatur, ordinibus æterno in-  
agmine interfulget. Vt sanè muneris Tui fateatur, quòd Te hortato-  
re, Te duce ac velut Angelo Angelici viri, humanitatis stadio iam  
defunctus, celebritatis iter in Hodæporico suo iterùm insistit ad eru-  
ditæ perennitatis metam ac palmam post cæli brauium, vel in terris  
non inani curriculo capeffendam. Verùm isthæc patrocinijs ac pecto-  
ris Tui in melleum hunc Patrem pignora ac merita, magna licet &  
egregia, vt hic ego planè præteream, Tua illa facit infucatae probita-  
tis atque candoris inexpugnabilis indoles, quàm in alios meritorum  
prodiga, tam laudum auersatrix verecunda suarum; vt Ambrosio sin-  
gulari non sint commemoranda præconio, in causa forsàn videatur,  
quòd in ipsum pariter atque innumeros auctores abs te profluxere  
communia. Ingenitum nempe tibi, ingenuas interitu prohibere ar-  
tes. Tuum (vt de viuentibus interim taceam, quibus ipse spirans  
ac viuens Bibliotheca in ore semper ac manus es; quorumque super-  
stitem doctrinam vbique terrarum ope tam vberi ac vigili cura velut  
Argus melior ac Briareus amplecteris, cumulas, foues.) Tuum,  
Epidauria feliciùs aut Appollinea facultate præstantiùs, vitale ad iu-  
bat Heronem concilia sepulchri postliminio reducere. Tuum, omnia  
commolientis aui molas ingenij virtute contereere, & è dentibus il-

lius Musarum spolia , Palladia monumenta , trophæa antiquitatis ex-  
cerpere æternitatis tholo suspendenda . Tuum , mortali lucæ cassis  
autoribus inocciduum luminis diem infundere ; Mercurij virga po-  
tentiùs , sepultos sistere rediuuios ; intercedere fatis ac manibus ; spi-  
ritumque rursus , extinctis , diuturniorem , nec vlli deinceps Libitinæ  
vestigalem ; impertiri . Quodque vel Gallici catenas Herculis , &  
Orphææ citharæ magneticam illam exuperat suauitatem ; non genti-  
les duntaxat aut ciues amoris hisce ac liberalitatis officijs Tibi adstrin-  
gis : sed in omnium gentium ac temporum studia influis , & inter-  
meas ; in omnis ingenij decus , ac subsidia literarum , veluti Sol ac  
dies Literatorum , munificentix splendorem Tuæ referas , & effundis .  
Non ætas quenquam , non interiacens longitudo terrarum , non fa-  
mæ obliuia , memori munerum Tuorum subducere queunt claritati .  
Æuo ac sæculis abiunctissimos , beneficijs Tibi coniungis ; malo depo-  
sitos situ , Tu bono dexter in lumine exponis ; solo ac natalibus alie-  
nos , sola scientiarum propagine caritateque agglutinas Tuis ; cogni-  
tionis apud Te nexus , cognationis lege prior atque præstantior est ;  
quibuscum nulla Tibi , vel sanguinis iura , vel ratio nominis , vel ne-  
cessitudinis suppetunt vincula , iisdem interim literarum commercio,  
beneficentiæ titulis , meritorum Tuorum stemmate copulari arctius ,  
inferique iucundius animo , nunquam desinis . Vt iam quisquis do-  
ctrina inclytus , è genere cretus Tuo ; quisquis virtute summus , Te  
stirpe propiori contingere , quicumque studijs inhæret altius , hic Tibi  
proximius interiusque annecti videatur . Nimirum Ambrosij oracu-  
lo , vir omni laude ac nomine florentissime , suffragaturus moribus  
Tuis : probati vndecunque viri profapiam , hoc est , Tuam , virtutem  
( delectam ex omnibus seseque in omnes refundentem ) quaquauer-  
sum approbas , & agnoscis : Virtutem Tibi ciuitatem ac patriam cum  
Philone reputas atque Nysseno ; quam proindè sub Axe ac lare quo-  
cunque excolis , & obseruas , nunquam apud Te peregrinam , sed  
semper indigenam ; nusquam alienam futuram , sed vbique & vndi-  
que Tuam . Vt mirandum profectò sit nulli , Te omnes assiduo plausu  
non Academias modò , ac principes vrbes ( haud secus quàm Græciæ  
coryphæum Homerum ) velut amatoria certatim decorum contentio-  
ne exambire ; verùm etiam singulos viritim orbis terrarum Eruditos ,  
aut vnaquaque Disciplinarum Sparta præstantes ac nomini pares , vir-  
tutis asseclas Tuæ , tanquam ad caput & autorem suum ad Te respice-  
re ; Tibi explorandos ingenij partus concedere ; Te Doctrinarum la-  
byrin-

byrintho Theseum, Te quæstionum ambagibus vindicem & Alexan-  
dram præstolari; Tibi, ceu menti ac genio literarum, pectoris sacrare  
primitias, styli decurrere agonas, censum omnem deuoræ gratula-  
tionis exoluere; Te cunctæ lumen Mineræ, te columen Musarum,  
ac suum sociali salutare concentu; Te sibi quisque germanum ac pro-  
prium, Te Mundi ciuem potiori, quàm se Diogenes, iure; aut Themis-  
tium Constantius, aut mortalium quemlibet Socrates, vno omnes  
ore concinere, vno omnes corde opinari consueuisse. Comprimo ca-  
lamum ac manum, tam aperto decorum Tuorum campo expatiari  
gestientem; ne ingenuitatis purpuram Tuæ sanguineo pudore suffun-  
dam; nè Tuæ moderationis sinceritas, fucatis eloquij tectorijs hic in-  
duci à me forsitan ac dispungi vereatur; nè modestiæ pupillam Tuæ non  
tam laudum reuera vere Tuarum oblectare pergam, quàm laudationis  
( vt reris ipse ) spinis offendere ac vulnerare traducar. Obstinatum  
enim Tibi, vir Cl. & Illustrissime, benè de cæteris mereri semper, op-  
timeque audire apud omnes; cæterum benè de Te dicturis, aut enco-  
mijis Tuis, vel in transitu lenique susurro hauriendis, aures nunquam  
accomodare. Vnum Tibi hæcenus Literarum omnium arcana com-  
plexo, mente excidit; celebritas nominis Tui. Vnum, qui cuncta  
nosti, Tibi etiamnum ignorare contingit, propriæ nempè virtutis præ-  
conia. Memoria Tuæ capacitati, cæli instar rerum omnium simula-  
chra sibi insculpta adamantina firmitate voluenti, vnica huc vsque se  
inuidit imago; gloriæ videlicet Tuæ. Hoc, librorum omnium libra-  
tori integerrimo, rerum ac studiorum omnium ponderatori mensori-  
que præiudicatissimo, Tibi, solùm restat adhuc expèndendum; immen-  
sum scilicet æstimationis apud omnes Tuæ pondus ac pretium. Famam  
Tuam ( quamuis solo solique conterminam ) si quis optet produce-  
re; laudes Tuas ( quanquam nulli tacendas ) quicumque prodit; nã  
ille famosi propè ac proditoris notam apud Te, honorum abstinentissi-  
me, incurrit, qui velut quidam humani generis Nilus, Tui in omnes  
largus & expanditor, nullas inde auras Tibi prorsus afflas aut exspi-  
ras: nã ille de claritate Tua sibi crimen inurit, de splendore ignomi-  
niam ducit, de promeritis Tuis inuidiam sibi promeretur; de Tuis be-  
nefactis offensam contrahit, de gratia culpam, de honestate dedecus,  
de humanitate liuorem, de indulgentiâ similitatem, de virtute quali-  
bet vitium sibi adsciscit, & inspergit. Mactè istis heroicis animis ac  
moribus! laudatissimorum virorum prælaudatissime; qui digna plau-  
su vniuersorum præstans, quoscumque plausus dedignaris; qui deco-

rum sudoribus inhians; acclamationes exhibilas; qui literatio pulvere  
gaudens, laureas pœnasque resignas; qui nomen factis exaggeras,  
vendicatione coëctes; qui virtutum pensa exhauriens, mercedem re-  
pudias; qui præclarè gestorum labore contentus, præmia contemnis;  
qui magna moliris, & oculis; qui rerum conscientia suffulctus, au-  
ræ parcis; qui famam extendis operibus, vultu dissimulas; qui æter-  
nitatem professus animo, fronte diffiteris; qui militare immortalitati  
sollicitus, stipendia negligis. Io! perge felix, quâ cœpisti! Euge tam  
præstantibus ausis! Sic planè meritorum ornamenta Tuorum ibunt in  
pectora ac mentes; sic immanium semina laudum, his tanquam obli-  
uionis sulcis obducta, lætiorum erumpent celebritatis in messëm; sic  
alti gazas ingenij, sinusque opes ac manus, dùm chartis inuolui re-  
nuis perituris, viuacissimæ perennitatis columnis insternis, & incidis;  
sic trophæa fastidiendo, coagmentans, vel ipsa monumentorum di-  
finitione Tuorum, monumenta Tibi perpetuò duratura sustollis. Ità  
profectò res habet, ità consilijs Tuis cum tua felicitate conditum est;  
vt dùm gloriam à Te expellere niteris, Tibi gloriam enitaris amplio-  
rem, quæ virtutem velut umbra circumstat, & sectatores sui deserens,  
affectatur desertores. Ita factis desideria collidis, ità cum vocibus  
Tuis meritorum vota confligunt; vt existimationis fauorem Tuæ repul-  
sa prouehas, fuga inuites, deprecatione concilies; vt laudum incre-  
menta tuarum interdicens indicas, vetando extorqueas, delendo  
instaures, dissipando agglomeres, inhibendo proferas, premendo  
euulges, calcando attollas, euertendo confirmes, prodigendo multi-  
plices, attenuando locupletes. O nouum prorsus, & insuetum ad  
Honestatis fastigia summa compendium! vt demissione velificeris præ-  
stantiæ, vt detrimento encomiorum celebritatis augmento proficias,  
vt ipso titulorum dispendio honorificentia Tuæ tributa coacerues, vt  
quem fructum opinionis apud omnes Tuæ magnanimitate cohibes,  
magnificentia distendas! Feres, Antoni Cl. modestiæ Tuæ vulnerato-  
ris audaciam, temperationis Tuæ præuaricatoris insaniam. Nam la-  
chrymis licèt ac penè conuicio admiratores Tuos atque præcones pro-  
cul ableges, & arceas; ipsius tamen suauissimæ comitatis Tuæ velut in-  
ge, meritorumque præcellentium fulgore, adlegas magis, & arces-  
sis. Vt nihil de humanitate illa hic attexam, qua prope vel ad Diuos  
assurgis; nihil de fide ac pietate, qua velut inter astra Sol enites; nihil  
de facilitate, & vrbantate, de morum pace ac mansuetudine, de vi-  
tæ probitate ac continentia, de effusa in vniuersos caritate. Ne be-  
neuo-

neuolentiæ Tuæ lucidas faces nube hac scriptionis obuoluam ; quibus ipse , tam charus notis , quam clarus , vel innotescis ignotis , & ipsos virtutis hostes atque æmulos , hoc est Tuos , ceu ferrum magnes , electrum stipulas , æther nubila , beneficentiæ splendore tractos demulces , captiuosque triumpho caritatis post Te trahis . Ne liberalitatis thesauros adnumerem , queis integras familias ( scis ipse , quam lynceus testis adstiterim ! ) vel è minorum gentium ( forte ne dicam , an infortunio ? ) Tuo in ære fortunatas ire compellis . Ne amicitia arcana retexam , qua Thesei & Achillis fabulamenta refellis ac probas ; immò Dauides ac Ionathas , Gregorios Basiliosque in Te vno foederatos nostris ætatibus reddis atque exhibes . Ut de æquanimi illa constantia ac fortitudine sileam , tam iugibus edomitæ inuidiæ opimis coronata , qua tot serenus ac victor aduersa , ( qui secunda omnia ubique mereris , ) quot nec Hercules olim monstra , superasti . Ut taceam de grati animi Tui memoria atque præstantia singulari ; qua exile quoduis obsequium , & Tuis longè impar honoribus , ingentium celeri gratiarum relatione superfundis atque obruis ; collatorum tenuitatem eatenus ( si quando ) admittens , vt statim grandicum fœnore , optimæ telluris aut cæli in morem , restituta cumulo ac fructu vberiore refundas . Quid reliquas virtutum gemmas indigitem ? quibus ita simul præstas , & irradias vniuersis , vti singularibus nemo ; ita rursus singulis emines enitesque , vt vnus totus inhæsisse videaris : adeò consono in Te illæ pariter conspirauere certamine , coaluere complexu , exundauere profluxu ; ceu quandam sibi materiæ gloriam in Tuis naturæ dotibus , in tuis moribus Gratia conquisiuerint . Quid Tuam officijs semper accinctam fermeque inexsatiabilem in Literatos omnes obseruantiam ? Quid Tuæ postremò eruditionis velut infinitæ miracula ? vndè Tu hominum Mundique senium emensus , omnium temporum factus es rationarium , omnium metator regionum , omnium polyhistor populorum , linguarum omnium facundia , ætatum atque operum lumen , arrium disciplinarumque theatrum , ingeniorum thesaurus , præsentium antiquorumque sequester , totius sapientiæ clauiger , totiusque Bibliotheca orbis terrarum ; vnde cuncta sepulcorum volumina vasto memoriæ Tuæ animas sinu , cuncta scripta ( Tuæ menti descripta ) ac penè voces recentiorum , ( quos linguæ Suada coram mulces , aut iugè Epistolarum commercio ubique gentium inuisis ) ceu capax rerum idea ac sermonum alueus , velut omnium Echo Doctorum , communisque viuentium nomenclator , & calles vnus & recitas ; vndè vel

ex-

extremas Vniuersi nationes non Romam cum Liuiio attrahis, sed Florentiam, vt in vrbe Florentissima totaque Europa miranda non illam, sed Te, re ac nomine Florem omnigenæ urbanitatis atque doctrinæ suspiciant; vnde tot consulta lycæis, tot responsa sapientibus, tot orbi oracula effundis veritatis, quot nec falsitatis commenta fertur superstitiosa vetustas; vndè denique cuncta Charitum, cuncta feta Musarum in Tua nunc tempora transfers priscorum capiti plexa, Literatorum apex præstantissime; vt quod de Hieronymo Aurelius, de Auito Ennodius (vix intra fidem, haud extra meritum tamen) iactarunt, instar perpetui spectaculi elogijque in Te vno ita conuenire comperitum sit; vt verè, nemo mortaliū iam nouerit, quicquid ignorare (fortè) contingat Cl. ANTONIO MAGLIABECHO, in quo peritia se se, omnis velut in diuersorio lucidæ domus inclusit. Absisto sciens ac prudens ab æquore laudū Tuarū, Vir Illustrissime; quis enim pugillo oceanum perstringat, aut vnus ocelluli puncto cunctam cæli pulchritudinem expingat? Sed & quæ mihi hætenus de Te commemorare collibuit, delibasse me veriùs quàm depleuisse, inuisse magis quàm denarrasse, comperio. Vt qui terrarum situs, & Urbium imagines exiguo tabellæ ambitu circumducunt; quanta abscissione magnitudinis, tanta similitudinis accisione. Quamquam metuo ego sanè, dùm verum istud de se quoque scriptio hæc ostendit; nè non tam decorum ieiunus pocillator Tuorum, quam ebrius violator appaream; nec tam parcus eloquij quàm nimius, verecundia apud Te potius periclitari cæperim quàm materia. Despuis enim hæc quoque Tu prorsus, auerfoque confestim ore fastidis; ad hæc, & de me tacitum queri, immò & irasci iuremeritò ac succensere (non quale amantes) præfago timore iam intelligo, qui præconiorum vel rudimenta Tuorum non aure modò, sed nec oculo saltèm ferre potes; quin vulnerato candori Tuo minium ruboris incutiant, ac frontem mutant,

*Lactea Massageta veluti cùm pocula fuscant*

*Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro.*

Ità in Te par effulget ingenio pudor, eruditionisque maiestati lux exequata modestiæ simul regnat ac triumphat. Sed iam vela huic scriptunculæ colligo ac receptui cano, nè Te diutiùs intemperantiæ meæ pudeat tædeatque. Ex alto tamen virtutum Tuarum ea lege emersus in silentij portum, vt amplissimæ Tuorum in omnes meritorum ac me potissimum recogitationi negato classico, ingentique dissimulato nuncupationis huiusce titulorum aceruo, qui magnis hic fuerant pyramidum

dum inscribenda fastigijs: redditum Tibi, reuersumque Ambrosium hunc Tuum rursus excipias foueasque ceu præuium Tui quoddam specimen ac morum speculum Tuorum, vti ANTONII MAGLIA-BECHI germanam indolem & exemplar vernantissimum. An non enim illius nominis suauitatem omni suo conspirantem, Tuis moribus defundis ac vincis? An non eius (aut in os de Te gratis ementito, mendacia Tu regeras sua) in sæculo Religionem, in turba silentium, in magnitudine modum, in aula sinceritatem, otium in negotijs, in inuidia caritatem, serenum in turbine, in aduersis constantiam, in affectibus continentiam, vbique gentium virtutes omnes ac facta æmularis magè, quàm imiteris? Vti reducem planè Ambrosium vel inuentibus in Te representes, mutata veste, non habitu; sensuum candore menti indito, illabente animo cultus externi pietate; vt quòd Hieronymo quondam de Nepotiano suo placuit, de Te mihi vsurpare nunc liceat; Nempè, quod alterius sub paludamento, & ipse alteri militas, sub popularitatis persona Sacerdotij grauitate defungeris, sub Mundi fasce & honoribus Claustro Empyreoque, sanctitatis Athleta, defudas. Communis etiam Ambrosio Tecum, quoad vixit, Bibliothecæ Medicæ nitor ac studium; communis fauor Erruriæ, commune Cæli Patriæque consortium, quæ illum quidem post merita vel in exemplum sibi adoptauit, Te verò longo stemmate proprium ad vniuersitatis exemplar, ad omne Honestatis miraculum totis eadem connixis viribus genuit, æquali ac simili cariturum. Plurima illi cum viris doctis coniunctio; Te docti quocunque sub axe & colunt omnes, & stupent; Te vel vltro venerantur indocti: tanta virtutibus Tuis & Maiestas inest, & illecebra. Nullus Ambrosio fastus, qui vel purpuræ Romulæ fastigijs exambitus, illam non modò nò ambijs, verùm etiam merito iniectam, reiectu generosiore à se bis terque submouit, plus pudore quàm fuce coccineam. At Tibi quæ fortis moderatio? quàm altè demissioni obstricta potentia? quis diuitiarum ambitionisque contemptus & horror? quæ census negligentia animo gazis exundante? quæ tumoribus æui valedictio? quanta à dignitatibus abalienatio? quanta titulorum non inanium repulsæ? quàm proprii sollers incrementi inhibitio, & impacata ac plusquàm Vatiniana execratio? Verùm hæc aliàs exactiùs; neque enim mihi de Te scribenti primus hic calamus aut vltima (faucate Numine) linea. Eadem Tibi quæ viro huic sanctissimo erga Catholicos diligentia, erga Ecclesiæ apices amor & obsequium, erga Sanctorum monumenta sedulitas, cum summis



Principibus familiaritas, in arduis conatibus robur, in vitæ cursu tenor ac limes. Quid? quod nec COSMVS vtrique vestrum suus defuit & admirator & fautor; Ambrosio Patriæ Parens, Tibi Tusciæ Genius atque Anima, totiusque generis humani delicia; quorum vos iridem ambo & decus estis & nomen, ambo solatium ac columen; ambo Mercurij Phœbique. Postremò quandiu mortalibus affuit Ambrosius, in libris persistit immortalis; illius autem denati, vel ab obitu innata lilia virgini tumulo; fertis, (ò verè quam Beatis!) intermeratam coronauere fauillam; lilia, inquam, calibi maritata cadaveri, velut animæ concolores exuuiæ, fragantissimæ virginitatis gemina, sinceri pectoris germina, fidei gemmular, candidæ coronamenta doctrinæ, indubiæ signa atque insignia sanctitatis. At hercè, Cl. Antonij, quæ nam, Fama Tua, suaveolentius vel lilieta respirant? quæ lilia, quàm Tui conturbernium, puriorem animam inhælant? quæ, præ memoria Tua, lilia gratiorem afflant iucunditatem? quæ Tuis ver moribus dulcius aut lilia infundunt aut exhibent? quæ lilia vel lactis flore coacta, vel niuium bysso dealbata, candoris Tui & ingenuitatis, pudicitia; atque modestia;, integritatis, innocentia;, pietatis recentissimæ gratiam, & illibatos honores exæquent vnquam aut assimilent? Ringatur licet atque infremat, ferreis plumbeisque, eribus minax, faucium æstuantium hiatu, felle tumens ac veneno, Inuidia; monstrum; totisque insibilet hydris, semper Heroibus infecta, semper mendacij puerperio educta calumnia. Quæ nominis umbra; Tui semel nubila nebulonis incassum liuor prætexere (haud impurè sanè!) meditatus est; vitæ Tuæ nitentissimæ radijs repentè discussa, opinionis Tuæ probatissimæ subito fulgore, ceu fulgure absumpta, Famæ morumque Tuorum meridie, verè serenissimo, statim absterfa sunt: iamque suæ in lethæ absorpta ac tumulata caliginis, eam virtutum triumpho Tuarum cumulauere claritatè, qua nec perspicuam magis priuatorum meminit gratulatio, nec ampliorem publica monumentorum trophæa consignarunt. Nam Tuam in libris inuestigandis, communicandis, coaceruandis, peruolutandis, vorandis cum Ambrosio concertationem, & vndiquè palmam; vel me etiam hîc silente, superstites passim deprædicant atque defuncti. Hoc Italus, hoc diuisus ab Orbe Britannus, hoc æquè Hispanus ac Gallus, Germanus, Dacus, Polonus; gentes omnes linguæque testantur. Scala hoc ingeminat Tuus, quem nuper ex umbris, & illiteratæ noctis erebo euocatum, in lucem ac manus hominum deduxisti, patria Crispum  
in

in historia, Apologis suis veritatis Magistrum, Dialogis Tullium redi-  
uiui. Confitentur Oricellarius, Landinus, Marsupinus, Vegius, Poggius,  
Marrasius, Verinus, alijque citra numerum notæ melioris scriptores  
laudatissimi; perpetuis sanè tenebris aut toti aut potiore sui parte im-  
meritò petitori; nisi in aspectis tot per soles pluteorum carceribus de-  
litescentes, solè ipso rutilantior Cl. Antonij Magliabechi liberali-  
tas ac nomen, prærepti spe Cæli ac luminis illos iterum afflasset.  
Nè domesticos testes huc aduocem, aut ex amplissima Tua Biblio-  
theca binas selectissimorum librorum myriadas, præter manu exarato-  
rum codicum vim incredibilem, lectione & alloquio Tuo, ipsoque  
vel manuum artatu literato per Te fat interim, (dùm lucem publi-  
cam opperitur) illustrem: Quos nemo Tuo ære coemptos mirabitur,  
qui vnicum literarum pretium es, & æstimatio, qui virtutis incompa-  
rabile margaritum es; qui gentium omnium corda Tuo esse in ære  
non ignoret, cum Tibi soluendo non sint; quemadmodum in corde  
Tuo velut in ære doctorum omnium nomina, doctrinæ omnium li-  
brorum insunt, tantis opibus suffecturo, vnoque omnia hæc euoluere,  
vno tenere callente. In ijs porrò tot ac tantis voluminibus tam fre-  
quens Tuorum gloria gestorum, tam crebra Tuis laudibus facta, vel  
nominis vmbra Tui præclarè coruscans, intersita multitudo est; vt in  
vnum redacta, multiplex ex iisdem Bibliotheca probè constaret. Tibi  
igitur (nè ad carceres iterum ac tertium ab hac scribendi meta regre-  
diar) Tibi, Illustrissime atque Cl. Antonij, Tua reddo referoque,  
dùm Ambrosium Tibi restituo; tandiù totiesque Ambrosium nuncu-  
pandum, quoties quandiùque Antonio nuncupabitur; qui in Te nunc  
spirat ac superest, vt in illo Tua priùs delibata est ac præradiauit  
imago. Tibi omni iure redonandus, quem prælo tandem, virtute  
æmulationeq; iampridem; & literis, & vitæ, & Orbi redonasti. O vti-  
nam! (dùm hanc paginam obfigno, nec verbis libet perorare, sed  
votis) ò vtinam! quàm Tui simillimus Ambrosius, quàm Ambrosij  
instar Antonius; ità Nicolai cum illo amicitiam necessitudini Tecum  
meæ, vel eodem nominis sacramento faustè auctoratam, totque Tuis  
in me beneficijs oppigneratam & auctam, sanctè reddere, perfectè  
exprimere, plenè æmulari contingat! Vale, & amoris Tui nexu ada-  
mantino perpetuum hæc omina firma.

Cl. Illustrissimeque Dominationis Tuæ.

*Omni nomine cultaque cliens deditissimus*  
Nicolaus Bartholini.

# LECTOR AMICE



**N**! Tibi rursus Ambrosij Hodoeporicon, non Italis modò, sed exteris toties expetitum, quale quale in Laurentiana repertum est (nàm MS. locupletioris supplementa adhuc desideramus); dignum tamen Tuo favore plausuque, cum ob rerum, quas serio confertimque perstringit, argumentum, tum ob preclarissimi Beatique Parentis reuerentiam, cuius ingenij præstantiam, & in Rempublicam Litterariam ingentia merita, & Patrum & Philosophorum monumenta iam pridem Latio Græciæque testantur. Superuacuum porro hic fuerit tanti Autoris Elogia ac Vitam, Romano Etruscoque sermone diffusam, retexere; cum præsertim, & ex arcta eius cum Ecclesiæ Põtificibus Maximis necessitudine gratiaque; & ex summa, qua in Catholicis Synodis, auctoritate, positus est; ex approbata in Principes viros, quorum temporibus nunquam defuit, obseruantia; ex amplissimis ad eosdem ac florentissimas Respublicas ipsamque Cæsarem Legationibus, quibus egregiè perfunctus est; ex Sanctorum demùm eruditorumque omnium testimonijs, quos studio cultuque impensissimo sibi demeruit: quis planè quantusque Ambrosius extiterit, elucescat: Notas, ut fide data me citius exoluerem, magna ex parte congestas, differre hic iterùm cogor; per eos priori consilio, quibus me parere necesse est, interturbato; dùm totum opus (sicundè) nancisci queam, Epistolarum Editioni reddendum: cui vires & otium felix, si Tibi cura sunt, apprecare, ac Vale.

1

*Hodæporicum Ambrosij Doctissimi, & Eloquentissimi Sanctæ Camal-  
dulensis Heremi Prioris, & eiusdem Ordinis Generalis,*



Nno Domini MCCCCXXXI., præsidente Apostolicæ Sedi Eugenio IV.; ex imperio & voluntate ipsius Pontificis, Capitulum Generale Ordinis Camaldulensis, ut celebraretur edictum est, in Monasterio Sanctæ Mariæ de Vrano propè Britonorum, xvij. Octobris, die videlicet Sancti Luca Evangelistæ. Ad id Capitulum congregandum missus est Reverendissimus Pater Dominus Ioannes Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Protector Ordinis: cuius literis repetitis compulsi sumus, contra morem, Monasterij clausuram infringere, & licet inviti ac renitentes ad Capitulum mittere; quippè literis Apostolicis conventi sumus, Missi sumus, ego Ambrosius tunc Supprior nostri Monasterij, & Silvester dulcissimus socius meus, Camerarius noster; cum quo jam xxx. annos exegeram in Monasterio. Movimus itaque Monasterio xi. die Octobris vespertinam synaxim agentibus Fratribus, nè quid turbationis ex lachrymis illorum & stertibus oriretur. Et ipsa die venimus ad Monasterium Sancti Salvij, ubi, absente licet Abbate, honorificè & plenissima caritate à Fratribus suscepti sumus. Sequenti die Decumanum, iij. Porticum profecti; vna ibi die quievimus. Indè xv. profecti ad Castrum, quod Carum dicitur; nocte ibi quievimus. Tanta enim fuerat inundatio, & tam præceps, ut operiret pontem, atque dejiceret. Et cum trajicere Pontem datum non esset, ad Castrum-Carum ea ipsa die remeavimus. Vbi què cum honore accepti sumus. Pluvia nunquam nos, ex quò Monasterio divertimus, deseruit; adeoque invaluit, vt brevissimi rivi instar magnorum fluminum intumescerent, neque tutò transmitti possent; ipsaque itinera in morem torrentium aquis decurrerent. Postera die ad Forum Livij reversi, fractum Pontem vteunque transivimus, divertimusque ad Priorem Camaldulini. A quo gratissimè accepti, postridiè Britonorum contendimus, die scilicet Capituli deputata. Nondùm eò pervenerat Cardinalis, nimia inundatione prohibitus, sed Cesenæ remoratus erat. Ea tamen ipsa die, postquam adveneramus, & ipse pervenit. Occurrimus illi cum processione, ut moris est, & in Ecclesiam vsquè deduximus. Ibi primam recitatis literis Apostolicis, sermoneque peracto xix. mensis, & celebratis Missarum solenniis, Dissiniores ipse eligere voluit. Reclamantes quosdam, ac submurmurantes, quòd contra consuetudinem id fieret, responso rationis pleno compescuit, asserens: *licere sibi, Pontificis agenti vices, id exequi. Dicerent, quando Cardinalis interfuisset Capitulo, & ipse sententia decederet.* Electi sunt Dissiniores Dominus B. Prior Generalis Ordinis nostri; Dominus Abbas de Carceribus; Heremita ambo, videlicet Hieronymus inclusus, & Hieronymus alius; nos ambo, Ambrosius, & Silvester; & Frater Simon, Supprior Monasterij Sancti Benedicti; & Prior Sancti Pauli, qui licet tunc nominatus non sit, omnibus tamen interfuit, & in omnibus sententiam dixit; vir sanè probatus ac prudens. Ea ipsa die, præsidente Domino Protectore, tractari cœptum est de reformatione Ordinis nostri. Lectæ sunt visitationes Monasteriorum, & præter pauca Monasteria, sanitas in Ordine inventa non est. IV. vero discussionis die, ubi ad personam Domini Generalis ventum est; cum plurima illi crimina obijcerentur, per quæ minùs idoneus decerneretur, immò dignus abrogatione censeretur; tentatum est, summa modestia Præsidentis, ut spontè officio cederet. Missi ad illum sumus, qui eum de hoc negotio conveniremus, Abbas de Carceribus, & ego. Hortantes se modestè, verbis plenis impatientiæ repulsi; & superbus, ac minitans, locum, ubi confederamus, irrupit, ipseque pro se respondere maluit. Notavit illius commotionem ex verbis Protector, & indignitate rei offensus, gravitèr in illum invehctus est. Decretum postea secretiore consilio fuit, ut custodiæ honestæ traderetur. Quod eadem die peractum est. Post hæc processus adversùs illum fieri inceptus legitimè xxiii. mensis. Intereà missi ad illum ex nobis vicissim plurimi, sepè hortabantur, ut spontè renunciaret officio. Persuasum illi tandem est à nobis. Itaq; xxvj. mensis coràm Protectore ac Dissinitoribus, genibus positus

A cum

2  
cum lachrymis absolutionem postulavit. Annuit vix illius precibus Cardinalis; nam citari eum ad audiendam sententiam iusserat. Eadem die, sententia Diffinitorum secretis explorata, infelix ego, Generalis assumptus sum. Neque licuit diutius reluctari, omnibus instantibus, atque impellentibus. Itaque anulo me Dominus Cardinalis de officio investivit. Ibi, mox à Prælatibus assistentibus, juratum in manibus meis de fide, & obedientia per eos mihi impendenda. Postea verò quàm renuntiaverat D. B. Quoniàm opinio de illo erat, quòd expilasset Ordinem, magnamque haberet pecuniarum summam; fermè deliberatum est, ipsùm intrà Castrum servari, donèc redderet rationem totius administrationis suæ. Opposui me, misericordia motus, illumque in fide mea suscipiens, ducturum illum Florentiam, facturumque; vt diligentè poneret rationem, pollicitus sum. Atque ita evasit injuriam Carceris. Recessimus Britonoro xxvij. mensis; & iter aggressi, venimus Civitellam; Indè ad Balneum profecti, una illic die remorati sumus. Ibi suscepti, à Priore loci & Monachis, obedientiæ exigimus juramentum. Culpatus est ab indigenis Prior ipse, gravisque querimonia contra eum exposita; pacatis omnibus, quantum pro tempore licuit, indè digressi sumus, xxx. mensis. Ea die Camaldulum venimus ad nostrum Monasterium Fontis-boni, magnòque omnium gaudio suscepti, sequentem ibi diem transegitur. Qua die socii itineris nostri, Silvester, & Simeon, ad Heremum proficiscentes; noctem illam, omnium Sanctorum Officio celebrem, illic egerunt; summòque mane redeunt, mecum illuc denud profecti sunt. Suscepti sumus cum processione, inestimabili omnium gaudio; Missarumque solennijs à me celebratis, ad Capitulum ex more perreximus; ibique omnes obedientiam debitam, in manibus meis promiserunt, Kalendis Nouembris. Qua die, post prandium, ad memoratum Monasterium Fontis-boni reversi, obedientiam ab omni illic familia, vt est solenne, exigimus; nullo non libentè accedente. Fuit quædam ab hominibus de Mojona fidelibus nostris proposita querimonia; sed eam, Deo miserante, paucissimis verbis sedavimus; ita ut omnes, nihil cunctati, se se mihi permitterent. Sequenti die ad Heremum cum socijs redij, Missarum solennia celebraturus. Redij Camaldulum, ea ipsa die, necessariò. Sabbato autem, idest iij. mensis, ed fermè redij cum Puerulo. Sequuti sunt me postmodum comites itineris nostri, qui in Monasterio Fontis-boni pridè, me volente ac jubente, remanserant, vt rerum omnium indicem facerent. Permansimus ibi Dominico die, coenavimusque cum Patribus Heremitis. Postridè, idest v. Mensis, redivimus ad Monasterium Fontis-boni. Qua die, quoniàm nives erat, veriti, nè per moram transire postea non permetteremur, venimus ad Pratum-vetus. Suscepti sumus à Monialibus Monasterij S. Ioannis devotè; omnesque juramentum obedientiæ solenne prestiterunt hilaritèr. Exegimus ab eis: vt in commune viverent; nè ab ingredientibus Monasterium Puellis pecunias dotis nomine peterent. Indulsimus, vt suscipere Puellas, vt erant solite, possent: benè consolati, indè discessimus, hospitati sumus in Monasterio Poplenè. Mane autem, obedientiam à Priori Monasterij, & à duobus Monachis exegimus; quam hilaritèr ac devotè promiserunt. Redivimus ad Monasterium S. Ioannis; celebratisque Missarum solennijs, & sumpto prandio, Abbatissam alloquuti secretis, de Sorore Fr. de qua sermo malus exierat, rem diligentèr inquisivimus, innocentemque indicijs evidentibus approbavimus; consolati que & illam & ceteras, confirmatas in servitio Dei reliquimus; reversique sumus ad Poplenè Monasterium. Vij. uerò mensis indè digressi, venimus ad Monasterium S. Margaritæ, susceptique à Priore Monasterij cum gaudio, eam noctem ibi transegitur. Iuraverat in manibus meis ipse Prior in Monasterio S. Mariæ de Vrano cum reliquis, qui interfuere, Prælatibus; minimeque visum est necessarium, obedientiæ juramentum denud exigere. Indè sequenti die egressi, Mucillum contendimus, vt ad Monasterium S. Petri de Luco pergeremus. Accepti sumus à propinquo Fratris Simonis, comitis nostri, honorificè in Villa cui, Flumen, vocabulum est, vbi ea nocte requievimus, & postridè pransimus. IX. mensis ad Monasterium S. Petri, die jam advesperascente pervenimus. Invenimus Moniales parùm concordés, neque in commune viventes; acceptoque, ex more obedientiæ juramento, admonuimus eas, atque ad mutuam hortati caritatem, vt in commune quoque assuescerent vivere, injunximus. Difficilè rem, diutius inusitatam, admiserunt; earum pusillanimitatem blandè, quantum licuit, hortati; in crastinum indè discessimus, pervenimusque ad Monasterium S. Bened. nocturnis incumbentibus tenebris. Suscepti à Fratribus & Priore

Monasterij plenissimo caritatis officio sumus; mane verò, idest die S. Martini, cum processione perducti in Ecclesiam, obedientiam exegimus ex more; promptèq; animo singuli hanc exhibuerunt. Celebratis à me Missarum solennijs (sic enim Priori & Fratibus placuit), & peracto prandio, urbem ingressi, ad nostrum Monasterium venimus. Ibi, mixtis gaudio lachrymis, ab omni Congregatione suscepti sumus, atque in Ecclesiam cum processione introducti, obedientie sacramentum ab omnibus libenter & gratè præstitum est. Non poterant avelli à complexu nostro Fratres nostri dulcissimi. Hortati sumus omnes, *ad persistendum in Dei opere, atque ad perseverandum in Monasterio; nutantiaque quorundam adolescentulorum corda confirmare curavimus.* Dùm autem adhuc essemus in Monasterio Fontis-bo- ni, petijt D. B. vt illum Florentiam præmitterem. Cunctatus aliquandiu, tandem, quod poscebat, indulsi; adjectisq; comitibus itineris, qui illum cautè deducerent, ad Monasterium S. B. illum misi; mandans, vt illic præstolaretur adventum nostrum. Acceperam literas à Fratibus nostris, quibus accessum ad eos illius morandi gratia, omninò renuebant. Ea ratione; ut in memorato Monasterio persisteret, iusseram. Non obedivit mandatis nostris, sed & Florentiam venit, & cum amicis loquutus, nostrum quoq; Monasterium adijt; immò & ad Monasterium de Buldrone profectus est, nulla rationabili causa compulsus. Ego, vbi contritatos meis literis Fratres nostros comperi, quibus illum recipere hortabar; medio ex itinere ad eos rescripsi, consolariq; eos studui. Et quoniàm ex literis Hieronymi fratris mei compereram, memoratum virum excessisse Monasterio, & hæc atque illa attentare; misi continud Cognatum meum ex itinere, ut instrumentum renuntiationis illius sumeret, & afferret ad me. Vbi uerò in Monasterio nostro biduum remoratus sum, accessi denuò ad Monasterium S. B. Ibi eùm requirerem D. B. *ut impletet, quod pollicitus erat, ducentosque aureos in sumptus Capituli præteriti impensos daret; cavillari incepit, asserens, metu id esse pollicitum; velle prius, asserens, calculum ponere, ac tum demum, qua vellem, facturum promittens.* Multis autem verbis in hanc rem à me nequiquàm consumptis; recessi indè negotio infecto, atque ad nostrum Monasterium remeans: postridie, idest xvj. mensis, perrexi ad Monasterium S. Saluatoris Camalduli. Occurrerunt nobis extrà Monasterij januam cum Cruce; & cum processione deduxerunt in Ecclesiam. Ibiq; solenni peracto officio; obedientiam Abbas Sebastianus cum Monachis V. promptè libenterque præstitit. Hortati sumus omnes adhortatione brevi *ad benè honesteque ac religiosè vivendum.* Susceperunt gratè verba nostra. Vidimus post hæc Monasterium pulchrum, laudavimusque Abbatis industriam, cupientes (si Dominus præstiterit comæatum) Regularem illic Observantiam instituere. Antequàm indè proficisceremur, post prandium duos ex Monachis Phil. & Pet. ratione exigente corripui, admonens: *ut postmodum servarent continentiam; mandansque, nè ultra soli circumirent plateas civitatis; sed honestè, sicut decet servos Dei, se deinceps haberent.* Advesperascente jam die ad Monasterium nostrum remeavimus. Sequenti die ad Monasterium S. Felicis perreximus; ubi itidè à Monachis & Abbate pari modo suscepti cum honore & gratulatione; hortati sumus omnes *ad benè & honestè, ac religiosè vivendum.* Adhortationem nostram visi sunt gratè ac libenter admittere; pollicentes emendationem, & ad meliora profectum, Injuximus eis, *nè soli & sine licentia exirent Monasterium, & ut honestè cum cucullis, quando opus esset, irent; & continenter viventes, Ecclesie Officijs studiosius die noctuque inservirent.* Paratos se & promptos ad obtemperandum, obtulerunt. Profecti fuëramus xiv. mensis ad Monasterium de Buldrone; vbi suscepti consuetis officijs, obedientie sacramentum suscepimus. Hortati *ad vivendum communiter*, bonam spem retulimus. Ibi secretiùs interrogantes Abbatissam, animadvertimus D. B. gratis eò accessisse, nihil habentem causæ; certioresque facti sumus, verbis ipsius, vera esse quæ de Abbate I. fama vulgaverat. Indè, postquam eas hortati fuimus, & suscipere Puellas alias posse permisimus; peracto prandio, ad Monasterium de Querceto perreximus; susceptiq; solennitè, eas alloquuti, corripuimus, lenitè exprobrantes; quòd per illorum infames actus abolendum, esset illarum Monasterium; quia nullam vltra suscipere possent ex decreto Capituli. Blandè tamen eas postea relevavimus, pollicentes: si se emendarent, vitam honestiorem agentes curaturos, vt licentiam haberent recipiendi Puellas. Ea die indè profecti, ad Monasterium S. B. remeavimus. Nocte sequenti tanta fuit inundatio, ut excrecentia præter morem flumina

4  
excederent terminos suos; multaque secum adjacentia, & longius posita rura pertraherent.  
Stagnabat omnis circum regio, & ciuitas omnis, Arno inundante, lacus præbuit speciem.  
Sequenti die, idest xv. mensis, ad Monasterium nostrum remeauimus. Vbi remorati dies plu-  
rimos; xxy. mensis rediimus ad Monasterium S. B. Ibi prandentibus nobis, superuenit Ab-  
bas Sebastianus ex mandato nostro; vt negotio calculi daretur initium. Offendit pranden-  
tem nobiscum D. B. Sumpto autem prandio, cum peractis gratiarum actionibus coronam  
ageremus, evomere diu conceptum virus fallax ille humilis coepit; atque exprobrare, cur pe-  
cuniæ illius summam detexissem? Cujus cum obiectio stulta iustissima ratione à me refelle-  
retur, asseremque, *illud salutis eius causa fecisse*; confirmarentque verba mea, qui aderant,  
Prior S. Benedicti, & Frater meus Simon, qui fuerat nostri itineris comes, & interfuerat  
omnibus; neque sic ille quiesceret, sed persisteret in criminibus meis, & beneficia mihi col-  
lata exprobraret stolidissime: commotus Abbas Sebastianus indignitate rei, hominis temeri-  
tatem iusta & rationabili ratione compescuit, asserens; *illum ingratis agere, qui, cui omnia  
deberet, & qui se ab injuria Carceris eruisset, exposuissetque apertis periculis illius gratia,  
tam effrenata licentia loqueretur; nihilque magis reuereretur Ordinis Patrem, quam si  
seruus ejus esset: Nimum illum superbire, immemorem conditionis sue.* Tum ille tanto fu-  
rore correptus est; vt à nobis cohiberi non posset. Iacularique in Abbatem maledicta &  
convitia & minas adorsus, proximus infano videbatur. Retorsit in illum maledicta sua Se-  
bastianus, scedisque verborum contumelijs se se mutuo impetebant; cum ille semper anti-  
quam superbiam spirans, hæc & illa facturum minaretur. Egerrime tulimus utriusque in-  
temperantiam; sed ille culpabilior existimatus est, qui initium convitijs dederat. Movit me  
multum, stulta hominis & vana superbia; neque dissimulavi, quin inflatos illius animos  
comprimerem, asserens: *hunc illius adeo turgidum spiritum nocivum ei plurimum.* Vbi  
verò illi digressi sunt; Prior hominem prosequutus est; vt illos scederaret invicem. Rediens  
cum eo, cum putarem posuisse superbiam, elatius ferme, quam antè, loquutus est. Abbas  
Sebastianus multum sibi moderatus est, nè convitijs maledicta referret; paucis tamen reddi-  
tis verbis ratione plenis, discessum est. Ego nocturnam post synaxim, quid facto esset o-  
pus, cum Fratre meo Simone tractare coepi, omnem exponens illi fluctum animi mei. Ea,  
multis vtrò citroq; verbis habitis, tandem sententia fuit: *desperandum de hominis illius  
vera conversione esse, nisi prius se exoneraret pecunijs.* Ego, id numquam facturum liberè,  
professus; quid faciendum esset, ut consulere mihi, & ipsum Simonem, & Monasterij Pa-  
trem, religiosissimum virum, simul oravi; recogitandique secum spatium dedi, omnem illis  
explicans animi mei motum. Postridiè ad Urbem redij necessarid. Quippè veritus, nè, quod  
acciderat, passim effunderetur; Abbatem Sebastianum adire concitus studui, vt & silentium  
indicerem, & consilium itidem flagitarem. Sed parum profecit hæc mea diligentia. Iam e-  
nim ille rem disperferat; quod, postmodum, ad Monasterium rediens, didici. Egi cum  
Abbate, amicè exostulans: cur, contra voluntatem nostram, secretum non servasset? Non  
potui tamen illius constantiam non gratè, admittere, non libentè amplecti. Indè, plurimis  
verbis vtrò citroq; habitis; quid facto tandem esset opus in nostro negotio, recogitandi  
spatium, poscenti, libens annui. Peracto convivio, ad Monasterium remeavimus. Ibi rem,  
vt contigerat, interrogantibus Fratribus quibusdam ex nostris, aperui. His diebus *ἤγμενος*  
*τις* & ante à me conventus acriter, & admonitus graviter, admixta tamen lenitate minis,  
ad me profectus est. Deprehendi ex hominis collatione secreta, *ἔταλγδια* in Monasterio  
*Ἀρμυν* commorari, non Sanctimonialia. Incensus zelo, postridiè, Abbate Vulterrano  
comitante, Monasterium illud adij. Conveni omnes unà mulieres, easq; Abbate semper ad-  
stante, alloqui aggressus; cum veritatem apertè ac meretricia & obdurata fronte denegarent,  
dimissis reliquis, juniorem tenui. Et cum ab ipsa quoq; veritatis nihil, neq; minis, neq;  
blanda veniè spe quivissem exculpere: rursus Abbatissam solam adhibui, maioreq; constan-  
tia aggressus sum illius arguere procacitatem. Tum illa, putans rei totius seriem à juniore  
fuisse referatam; & ipsa coacta est confiteri suum & Monasterij dedecus, licèt ex parte;  
nam de se ac reliquis natu majoribus, assensum eatenus tenuit. Indè juniore rursus evoca-  
ta; vtraq; severissima castigatione verborum diu versavimus; vtriusq; impudentiam singu-  
larem

larem, & mendacium sibi non coherens, crebra exprobratione repetentes. Data est, in conspectum & alia, quam abesse, Major illa impudens asseruerat. Tum verò, rursùm evocatis omnibus, & turpi illarum scena in medium exposita; interdictum illis à nobis est; nè quem ultrà masculum intus admitterent; non Monachum, non Religiosum, non Laicum: adiectis minis, per quas, diruendum atq; incendendum illarum Monasterium, protestaremur, si quis infamis rumor aurès postmodùm pulsaret nostras. Indè digressi; lascivum ac nepotem Monachum, qui se præfici mira arte poscebat; acri verborum castigatione objurgavimus. Inficiari ille primùm, postea verò veritatem confiteri perrexit. Post hæc, poenitentia illi injuncta, per nos aditus omnis obstructus est. Plurima per eos dies comperimus gravia Religionis nostræ dedecora, quæ scrutari secretò intendimus. Nam eorum nobis indicem fecimus; atque referavimus. Intereà COSMI atque LAVRENTII fratrum, amicissimorumque nostrorum, domum, à Matre illius exoratus, visitavi; ibique salutatis omnibus, & dulci pusione Laurentij nostri filio exosculato; sermonem cum amicissimis viris protraximus diù; fidele itidè ab illis consilium flagitantes in rem nostram. Nihil illi æquè ac ἀπάθειαν nostram sequendam monuerunt. Et quoniam ad aures nostras quædam, post primam illam Visitationem, & admonitionem nostram, de Abbate Sancti F. eiusque familia delata sunt; denuò adij ipsum illorum Monasterium, omnibusque simul adhibitis; quæ comperta mihi erant, absque personarum denotatione, referavi. Vnum tantùm ex nomine signavi, qui Medicinam profiteri palàm diceretur; eumque à studio istiusmodi professionis averti; firmatisque moderata exhortatione Fratribus, Abbatem ipsum ad nostrum Monasterium postea evocatum, secretò commonui, quidque fieri vellem pro sui, Monasterijq; cautiore custodia, iniunxi, clausuraque noctū signata servari præcepi. Prima verò Dominica de Adventu, idest ij. Decembris, valesfaciens Fratribus nostris ad S. B. Monasterium redij; offendique COSMVM nostrum prolixiore tractatu sermonem cum Benedicto illo miscere, de quo multa mihi nefaria comperta per hos dies erant. Petieram adhuc in Monasterio nostro constitutus, ut quædam vilia juris nostri institueret, neque impetrare potueram; Priore Monasterij, meliore forsitan ratione, idnequaquam approbante. Postquam eò advenimus, COSMVM nostrum alloquuti, deprehendimus, hominem equi sui nimio desiderio ferè in equum conuersum, molesteque ferentem, cur illo tandiù caruisset; quasi planè fugam equo arripere meditaretur. Pollicitus illi furam redditurum; itaque illum & præsentibus primùm amicis, & postmodùm secretiùs, quoniam leni objurgatione insequeretur, non peperci, asserens: *minimè convenire proponenti maiora & digniora, cogitare de minimis.* Id tandè inferens: *illi equum minimè esse necessarium, quippe clauso; me fidei meæ non desuturum. Ceterum orare, ut si vendare in motum institueret, mihi potissimum venderet, pretium dignum à me percepturus.* Ea semper conclusio ipsius fuit, cum ratione obviare nequivisset; equum sibi primùm restitendum; idque ut facerem, & se consolarem, orabat. Pollicitus sum, facturum omnia, quæ velle. Nocte illa multam in horam sermonem de illo cum Monasterij ipsius Patre, & cum Simone Fratre meo protraxi. Illos spes de illius vera conversione, & præcipuè Priorem, me una desperatio habebat. Ea tandè fuit sententia Prioris; *leniter cum illo Lenteque agendum; ut altero ex his, nihil terrius, omnia spontè fateretur secretiùs; altero consulere, tur, reponere adversus illu quippiam volentibus; ut per hanc moram discussionis, objicere, qui, velli, posset.* Mane indè profecti ad Monasterium nostrum remeavimus; atque ibi paulisper remicati, iter aggressi sumus. Prospexit Deus nostræ solitudini; & cujus gratia, neminem nostri Monasterio sequi passus fueram, ipse mihi, Parentis mei, Clari adolescentis, solatium præparavit. Sponte nanquè sua, se comitem nostræ peregrinationis adhibuit; magno certè cum audio meo. Ipsa die ad Monasterium S. Margaritæ pervenimus; comitante nobiscum carissimo nostro Francisco, bonæ Religionis viro. Sequenti die perreximus ad Pratum verus; Indè mensis contendimus Pupium; sermonemque cum Comite Francisco protraximus diù, delecti prudentia, & dulci amicoque colloquio tanti viri VI. Decembris ad nostrum Monasterium Fontis-boni, Deo duce, remeavimus. Socij aliquantispèr requievimus; undè cum movissimus, tanta nos nivium frequentia, tanta ventorum vis undiquè percellebat, ut plena terrori essent omnia. Nam & in ora, & in oculos, & in sinum ipsum nix vento acta impellebat; & fragor ventorum silvam omnem fremitu ingenti quatiebat; & saxosus ad dextera-



ram fluvius, præcipiti lapsu auribus infestus erat. Vix tandem ad Monasterium peruenimus; acceptique gratissimè; postridiè perreximus ad Heremum. Ibi remorantibus nobis; repentinus nuntius allatus est, Abbatem Monasterij de Agnano diem obiisse Senis. Placuit nobis, Arretium profinùs, omisis omnibus pergere; nè quid oriretur scandalorum, ambitione latè in plerisque dominante. Id Fratribus quoque nostris Heremitis visum est. Itaque IX. mensis, summo mane moventes Monasterio; Arretium die jam advesperascente pervenimus. Offendimus rem miro cuiusdam ambitu perturbatam. Deerant ex Monachis, quatuor, ad quos spectabat electio. Eos dùm, literis accitos, necessariò præstolaremur; commovit ille totam fermè civitatem, ità ut ipsi quoque Gubernatores Oppidi ad nos dirigerent nuntios, qui hunc nobis commendarent. Animadvertimus sententias penitus varias: omnesque fermè (duobus exceptis) in illum consentiebant, cuius electio nobis maximo dedecori futura erat; quippè non satis integræ opinionis. Advenerunt tandem IX. die postquàm illuc adveneramus, qui evocati fuerant, Monachi; præventi iam precibus ac promissionibus variis. Eos seorsim allocuti; cùm in hominem illum sententia sua pergere conspiceremus, blandè alloquuti; *Quod intentio Pontificis. & nostra esset, illio, hominem Regularis Observantia, Abbatem constitui, palàm aperuimus, qui Monasterium ipsum decore Observantia Religiose quovisset instruere.* Hoc enim, veluti clypeo quodam, preces omnes repuleramus, amicique constantiam fregeramus. Interea dùm Monachorum expectatur adventus, visitationes plurimæ factæ sunt, accedentibus ad nos tùm civibus plurimis, tùm Canonicis; tùm Prælati. Ipsi quoque secundò adivimus Episcopi Vicarium, sermonemque cum illo in longum produximus; non nisi utilia & Religioni nostræ necessaria conferentes. Bonum certè virum, & observantissimum nostri deprehendimus; magnamque inter nos exortam amicitiam, planè gratulati sumus. Qua verò die Arretium ingressi sumus, ad Monasterium nostrum Sanctæ Mariæ in Gradibus divertimus; ibique remorati sumus iugiter. Dignum quippè visum est, ut in eo Monasterio quiesceremus, ubi futura erat electio. Est enim Suffraganeum maioris Monasterij Sanctæ Mariæ de Agnano; ad quod pergere, bellorum fremitus, hostiumque incursus prohibebat. Suscepti sumus ex more cum processione, & in Ecclesiam introducti; neque tunc tamen obedientiam, ut est solenne, promiserunt, quòd abesset Vicarius ipsius Monasterij, Thomas carissimus noster, qui longo spatio pedes sequutus fuerat iter nostrum. Pervenit & ipse noctis iam incumbentibus tenebris; cumque illo (nè mora illic nostris otiosa esset) visitavimus primùm nostrum Monasterium, Sancti Benedicti. Vbi suscepti, ut moris est; sigillatim omnes examinavimus, quia sinistra de illis fama ad nos emanaverat. Invenimus, eas à cæteris Monasteriis nihil differre, nihilq; habere Observantiæ Regularis præter clausuram, quam & ipsam nimia licentia illic euntium violarent. Admonitas gravèr singulatim atq; communiter; cùm vitæ communionem persuadere nequivissemus; exegimus sub grandi comminatione, *ut neminem intro admitterent, & ut Clausura illibata servaret.* Postridiè, ni fallor, quæ fuit mensis XII. ad Monasterium Sancti Michaelis profecti; privata solennitate, accepti sumus honorificè ab ipsius Monasterij Abbate & Monachis; præstitoq; nobis obedientiæ sacramento, quæ videbantur necessaria, pro tempore admonere uravimus. Ea die conventus factus est civium, qui ipsum Abbatem, eo præsentem, manibus attolerent laudibus, eiusq; pervigilem curam & diligentiam prædicarent, commendante nobis Monasterij ipsius paupertatem. Respondimus, quæ videbantur congruere, polliciti; nostram curam, si quid iustè postularetur à nobis, non defuturam. Fuit ea die magna verborum contentio cum Hebræo nobis optimè cognito. Inde serò, Abbate renitente, discessimus; sequenti die ad Monasterium Sancti Clementis properavimus, susceptiq; sumus officiosissimè à Priore Monasterij ipsius, bono profructu viro, exacto obedientiæ juramento, & brevi admonitione subsequuta; peracto prandio remeavimus ad sedes nostras. Magnus, ut dictum est, concursus factus est ad nos hominum in diversa nitenum. Quos omnes à nobis cum benevolentia & caritate dimisimus. Visitavimus secundò Monasterium Sanctarum Floræ & Lucillæ, acceptiq; sumus affectu summo à Priore Monasterij & Monachis, atq; in primis à carissimo nostro dulcissimoq; Hieronymo. Vnam cum h. exegimus noctem, alibi nusquam hospitati, præterquàm in nostro Monasterio Sanctæ Mariæ in Gradibus. Consolati sumus Hieronymum nostrum quantum licuit, atque ad perseverandum ani-

animavimus. Convenimus illic antiqui Abbatis nepotem, adolescentulum inquietum, lascivum, ac perditum; mandavimusq; illi per literas sub excommunicationis elogio, & privationis carcerisque censura, ut se conferret maturius ad nos, obtemperaturus monitis nostris: nam octo illic exegeramus dies, cum per se ad nos ire negligeret. Constrictus conditione gravi; venit, comitantibus propinquis; obiugatusq; graviter, quod iam dies declinasset in vesperam, & incumbentem nobis agenda plurima, redire ad nos iussus est. Denuo Abbas Monasterii Sancti Michaelis, accepit nos ad convivium magnifice, multaq; nobiscum egit, quod adipiscendi Monasterii vacantis omnis illi spes adempta videretur. Nos illi benigne, rationabiliterque respondimus, *sub maioris potestatis nos arbitrio pendere, neq; posse quicquam, prater summi Pontificis nutum, at tentare.* Corripuit, me presente, Monachum iustum sibi (ut putabat) infensum, quod is contra se hæc atq; illa loqueretur. Tulimus equo animo illius comitionem, atque interim dissimulavimus. Per eos dies Monachorum, qui Monasterii negocia administraverant, rationes ad calculum digestæ sunt, magno studio nostro, & labore atq; opera Prioris Sancti Clementis, viri planè bonæ fidei. Ea res habuit nonnihil controversiæ; admisimus tandem omnium rationes, bonaq; fide factas sententia & auctoritate nostra approbavimus. Advenerant iam ij Monachi, qui expectabantur, cum redijt ad me nepos ille adolescens, quem supra memoravimus. Oravit, ut se ab Ordine ac Religione nostra absolverem; sumplerat quippè iam habitum nigrum, quæsitæ sibi ex Domino Cardinali Ursino licentia mutationis huiusce faciendæ, ea tamen conditione, ut licentiam à Superioris suo flagitaret. Admisimus hanc eius postulationem, sed ea lege; ut spontè Monasterio nostræ Religionis, quod tenuerat, renuntiaret. Facta sunt omnia pro voto nostro, libenterq; evasit à nobis. Nonadecima ipsius Mensis, quarta scilicet feria, celebrata de Sancto Spiritu Missa, ingressi sumus omnes Sacrarium. Ibi, plenissima exhortatione præmissa, legimus capitulum Regulæ Sancti Benedicti, de Abbatis electione, aperteq; disseruimus, ne quis scrupulus oriretur, admonentes: *mentionis nostræ esse hanc eligendi formam servare, ut & Regula tanti Patris, quam professi eramus, & voluntati Pontificis obsequeremur, & officij nostri atq; honoris rationem haberemus. Nihil enim minus ad nos pertinere negotium electionis, quam ad illos; immo longè maxime nostræ interesse, ut domus Dei bonus daretur dispensator, cautè prospicere, illos enim posse in dies mutare Monasteria si vellent; nos, nisi bonus vir eligeretur, perpetuo notandos dedecore. Igitur hominem probatæ vitæ, ac famæ & conscientia integræ eligerent; alias nos electionem egrè admissuros quam Pontifex nunquam approbaret, qui Observantia regularem ibi vellet institui. Ac nè se ad unum quempiam eligendum compelli quererentur; plurimos illi proposuimus, ut vel ex his vel ex aliis unum eligerent, quem vellent, regularem duntaxat virum.* Hac nostra ratione conventi, differri in vesperam electionem petierunt; id nos libenter annuimus. Advenerat ad nos Iacobi Monachi nostri Monasterii frater, fasciculum grandem literarum ferens, ipsum Fratrem meum mihi commendantium. Legi eas magno cum dolore meo, ipsiq; Iacobo continuo rescripsi, orans atq; obsecrans & obtestans, nè labores diuturnos, quos in Monasterio pertulit, irritos vellet, ut famæ atque conscientiæ consulere suæ; nè cederet malis propinquorum adhortationibus; persisteret in timore Dei, parceret infimioribus Fratribus, qui scandalum ex hac levitate sua paterentur. Non potui illum quoque cum ceteris non appellare, quod ex Monachis nonnulli in eum consensissent; eaque vita & virtute est, ut minimè improbandus videretur. Sed ita tamen me egi, ut propensior in illum, quam in ceteros, notari non possit nostra sententia. Celebrata vespertina Synaxi, denuo in unum convenimus, precedente invocatione supplicis Spiritus Sancti. Repetita est à nobis prior admonitio, singulatimque discussa sententia omnium secretius, sub testibus tamen Priore Sancti Clementis, & tabellione publico; electus est Iacobus Frater meus, pronuntiatusque est Abbas, absens licet, Monasterii Sanctæ Mariæ de Agnano. Subsequentæ sunt laudes Dei, magnaue lætitia in populo exorta, omnibus expectantibus Monasterii ipsius in meliùs reformationem. Scriptum est continuo Monachorum nomine ad illum cum electione sua publica; oratumque, ut electionem admittere dignaretur. Nos interim gravi onere levati sumus; certi nihil à nobis omissum esse diligentia, virumque electum eius meriti non ignorantes, qui posset satisfacere omnium votis, & expectationi nostræ. Quod de illo, postquam electus est, & uberius sensimus, &  
licet

licentiùs prædicauimus, nihil metuentes, nè hac prædicatione nostra causam electioni eius da-  
 remus. Indè xxi. mensis, & quidè contradicentibus omnibus, iter arripuimus, ut rever-  
 teremur ad Heremum. Nimbus enim, & repentina vis venti futuræ tempestatis erant indi-  
 ces. Verùm nos, ut solennitatè propinquam in Heremo ageremus; maluimus incommoda  
 imbrium ac nivium perpeti, quàm illic remorari. Egressos portam ciuitatis nix occupavit,  
 quæ perpetua nobis itineris comes fuit. Semper enim in faciem atque in oculos impedit; ne-  
 que antea destitit, quàm Socium veniremus advesperascente iam die. Ipso die, devia secuti  
 sumus, nive itinera operiente, duobus fermè passuum millibus propè Socium; ac nisi nos  
 bonus quidam vir profecutus esset, qui viæ redderet, maxima difficultate ac desperatione  
 pressi fuisset. Socii in domo habitationis nostræ ea nocte requievimus. Postridiè ad Mo-  
 nasterium nostrum Fontis-boni perreximus. Tanta verò fuit vis venti, ac nivium modico il-  
 lo itineris intervallo; ut vix super equos, quibus infederamus, nos tenere possemus. Nan-  
 que & in faciem irruerant nives, & ventus omni ex parte agitabat. Sonus præterea hinc  
 fluminis saxa rotantis, indè arborum, se se invicè ramosque suos collidentium, plurimùm  
 terroris adiciebant. Tandè miserante Deo, applicuimus ad Monasterium Fontis-boni. Egi-  
 mus eam solennitatè in Heremo cum Patribus Heremitis, morati illuc quatuor dies. Quar-  
 to die, in celebritate Sanctorum Innocentium, advenit illuc Frater meus Jacobus, Abbas  
 Monasterii de Agnano, vnà cum alio Monasterii Fratre. Suscepimus affectu præcipuo ipsum  
 Fratrem nostrum, hortatiq; sumus pro tempore, quantum licuit, atque etiam opem contuli-  
 mus; duos quippè pueros Monachos illi in auxilium dedimus. Volebat ut secum pergerem,  
 immò redirem; rationabiliter contradixi, asserens, quod verum erat, necessariò me Florentiam  
 vocari. Scripsi tamen Patri nostro Priori Sancti Clementis, ut illum vice nostra in possessio-  
 nem Monasterii induceret; addentes, ut quod à nobis fuerat omissum, implere curaret; ac  
 Monachos omnes, & Prelatos admoneret nostro nomine, uti se à Monasteriorum accessu ab-  
 stinerent sub gravis pænæ censura. Monachum alium, qui advenerat ex nostro Monasterio,  
 æriter corripuimus. Et quoniàm inter cetera mandatum mihi erat, ut Regularem Observan-  
 tiam in Monasterio Fontis-boni constituerem, de consilio Heremitarum, unum ex eis  
 Claustro Fontis-boni præfecimus; duosque Monachos ante profectiõnem nostram habitu sa-  
 cræ Religionis induimus; mandantes ipsi, ut advenientes modestè tractaret, esumque car-  
 nium volentibus, non denegaret. Idque ut faciliùs sponte sua ad Observantiam inducerentur.  
 Postridiè, cum antea familiam omnem essemus alloquuti, admonentes servare ordines suos,  
 & nimiam, quam ceperant, frænare licentiam; Monasterio, spe tamen redeundi priusquam  
 Romam proficisceremur, digressi sumus; hortantes & publicè omnes, & seorsum singulos, in  
 Dei opere perdurare. Venimus ea die ad Pratum-vetus. Ibiq; Abbatissam Monasterii no-  
 stri, & Moniales alloquuti, atque exhortati; nocte in nostro Monasterio Poplenæ quievi-  
 mus. Indè moventes ad Sanctæ Margaritæ Monasterium venimus. Advenerat iam ad me  
 eum adhuc essem in nostro Monasterio Fontis-boni, dilectissimus nobis Dominicus Monachus,  
 quem Dominus itè consolationi meæ reservauerat, sponte sua, magna certè cum infantia,  
 comes nostri itineris fieri postulans. Amplexus sum grato animo, & plenissimo affectu homi-  
 nem carissimum, quem mihi & merita sua omnium ore vulgata, & Hieronymi fratris testi-  
 monium commendabant. Florentiam postridiè venimus ad Monasterium nostrum; ibiq; susce-  
 pti magno omnium gaudio sumus, ii. Nonas Ianuarias. Interea, dum adhuc Arretii essemus,  
 literis & Domini Protectoris, & Prioris Sancti Pauli, ut Romam pergere maturaremus,  
 admoniti sumus; nuntium quoq; ipsius rei Frater nobis optimè cognitum attulit, quem Mo-  
 nasterio Sanctæ Mariæ de Vrano præficiendum curavimus, literis illum nostris memorato  
 Protectori nostro commendantes. Eidem Romam revertenti literas ad Dominum Rotho-  
 magensem dedimus, ipsius hortatu, quibus causam Burgenfis Monasterii cum Episcopo Ca-  
 stellano, sibi à Pontifice iudicandam permissam, intentis commendarem. Fratri quoq;  
 Hieronymo scripsimus, & Heremitis ipsis, ut deliberarent, quid factò esset opus in hac pro-  
 fectiõne nostra Romam, consultis etiam amicis. Vbi verò Florentiam venimus, confirmare  
 curavimus, ante omnia Fratrum nostrorum infirmorum animos, quos discessione Iacobi no-  
 stri, & nostra itidè, putabamus meritò fuisse commotos. Missam & omne Officium,  
 Epiphaniæ, volentibus & iubentibus Fratribus, magna cum solennitate celebravimus in no-  
 stro

9  
firo Monasterio. Per eos dies Monasteria in urbe constituta visitavimus affectu debito, Ab-  
batesq; & Monachos (quod prius literis egeramus) oratione quoque nostra & presentia fir-  
mare curavimus; monentes nosris, immò verius Divinis monitis obsequi, & ea servare sol-  
licitè, quæ jusseramus. Adivimus Monasterium quoq; nostrum Sancti B. plenèq; caritatis  
officio noctem ibi unam duximus, tractantes cum Fratribus nostris carissimis, Priore ipsius  
Monasterii, & Suppore, quæ ad negocia nostra pertinebant, & de reformatione Ordinis no-  
stri, & de professione Romam, & imprimis de calculo D. B. Venerabilem Patrem Sebastia-  
num, & Priorem ipsum, de Heremitarum consensu & voluntate, ad id negotium inchoandum  
& prosequendum auctoritate quoq; nostra statuimus; egimusq; adveniente illuc Abbate Se-  
bastiano, ut rei daretur initium. Equum suum memorato viro ex Arretio miseramus, ut om-  
nis obloquutionis materia tolleretur. Expostulavimus amicè cum Priore ipso, ac de nimia  
levitate viri & ingratitude conquesti sumus. Tueri ille causam ipsius, & pietatis colore  
agere negotium: & cum à nobis, quæ ille jactasset in nos verba contemptus plena, admo-  
neretur, obtegere culpam, & excusate pergebat, non improbanda allegans. Alloquutus est  
nos ipse B. magnam simulans humilitatem, multumq; se commendavit nobis, reddito Privi-  
legio, quod apud se erat, Alexandri V. Mulam, quam dono dederat nobis vir nobis optimè  
carus Io: Guicciardinus, nobiscum ad id Monasterium duximus. Reversi ad nostrum Mona-  
sterium sumus, & cum Romam pergere maturè cuperemus; obstitit nimia inclementia hye-  
mis, aliquotq; dies remorari, præter votum nostrum, coacti sumus. Visitavimus COSMVM  
nostrum aliquantulum valetudinarium, atque ab illo pecunias in itinere necessarias mutud  
accepimus. Neque id solùm, verùm & alias pecunias plurimas nobis mutuavit, vir omnium  
amicissimus & officiosissimus. Collectoribus tamen nostris scripsimus, ut, quas exegissent,  
pecunias super mensam ejus ponerent, nè officio nostro defuisse videremur. Movimus Floren-  
tia xv. Kalendas Februarias, venimusq; prima mansione ad Castrum quod S. Ioannis dicitur.  
Vbi delicatissimè hospitio accepti; convenimus quendam, olim Fratrem nostrum, qui dimisso  
Religioso habitu, vxorem duxerat, filiosq; genuerat. Eum allocuti, tentavimus à pravo re-  
vocare instituto. Rem tamen factu difficilem arbitrati, dimisimus illum à nobis solitudine  
cumulatum. Indè profecti mane, Arretium die jàm advesperascente pervenimus. Eam noctè  
in nostro Monasterio S. Mariae in Gradibus cum Abbate nostro Iacobo duximus. Admonui-  
mus illum inter cetera, ut benevolentiam & gratiam sibi nostri Monasterii servare studeret;  
atque imprimis, ut indè neminem sui causa permetteret egredi, quia nos nunquam id pate-  
remur. Expostulare ille mecum primò, tum cedere pergit. Rationes eorum, qui Mona-  
sterii negotia tractarant, à me approbatas, & quæque à nobis gesta in suo Monasterio, ut  
pro ratis habere vellet, exegimus amicè. Postridiè, xx. scilicèt mensis, applicuit amicissi-  
mus noster Bartholomæus de monte Gonzio, dux itineris nostri; suavitque, indè ea ipsa die  
discedere, atque Castellionem proficisci. Obsequuti sumus ejus voluntati. Ibi, cenantibus  
nobis, reddita sunt ex Arretio literæ, nuntiique allati. Respondimus literis; Fratremque  
nostrum Iacobum literis itè convenimus, nè quid ex institutis nostris convelleret, nè quod  
scandali seminarium oriretur. Indè mane profecti, Perusiam petebamus, profundoque jàm  
vespere pervenimus ad locum, qui Vlmus dicitur, juxtà Perusiam ad duo millia passuum.  
Mirari hac die licuit lacum famosissimum Thrasymenum, cujus dorso tres insule imminent,  
duæ habitabiles, alia sine habitatione, quæ & brevior est. Major ex his vno ac semis ferè  
milliario cingitur, habitaturque optimè. Ripam lacu perpetua regit olea. Proceræ arbores  
sunt admodum, ac speciosæ. Ingressi mane Perusiam, cibo modicè refecti sumus. Indè abe-  
untes nix aliquandiu comitata est. Ea nocte ad locum, cui Plegao vocabulum est, requievi-  
mus. Postridiè ad Urbem veterem venimus. Indè Viterbium; indè Sutrinum; xx. tandem  
& vij. mensis, Romam, Christo duce, pervenimus. Divertimus ad Fratres nostros montis  
Olivetii, susceptique ab eis sumus plenissimo caritatis officio. Sequenti die visitavimus, de  
Protectoris nostri mandato & hortatione. Pontificem; à quo benignissimè accepti, auctique  
benedictione remeavimus. Indè, ut est solenne, Cardinales quoque omnes singularem domi  
salutare curavimus. Mira omnium gratia, & præcipuum in nos studium fuit; plerique nos  
convivio quoque acceperunt. Basilicas Romanæ urbis orationis gratia, & affectu veneratio-  
nis adivimus. Mirari fati non poteramus ruinas ingentes; vasta dudum ædificia, nunc di-

rura; columnarum moles, marmoris, & varij lapidis crustas. Ex Viterbio miseram Benedi-  
 dictum, ut sarcinulam nostrarum rerum conveheret Romam, quod ibi libellus esset inclusus à  
 me traductus, quem Pontifici dono offerre institueram. Erat autem, Ioannis Chrysofomi  
 opus: contra vituperatores Vitæ Monasticæ. Recreati sumus plurimarum visitatione sacra-  
 rum *Ædium*, & maximè caritate Fratrum nostrorum: à quibus (quod illorum Monaste-  
 rium remotissimum esset à Basilica Beati Petri, ubi remoratur Pontifex) post vigesimum  
 diem ad Ecclesiam Sanctæ Martyris Cæcilie contulimus nos, habitavimusque trans Tiberim  
 in domibus Domini Arelatensis, Ecclesiæ contiguas. Ingentem nobis humanitatem præsti-  
 terunt servi Dei in illa habitantes Ecclesia, aded ut ex inopia sua utensilia nobis omnia sub-  
 ministrarent, nimiaque nos caritate tractarent. Offendimus Romæ quosdam Religionis no-  
 stræ homines vagos, nimia licentia huc illucque discurrere. Admonitos graviter, ad sua re-  
 gredi iussimus. Detestabilem quendam & infamem compedibus vinximus, atque ad nostrum  
 Monasterium missimus custodiendum. Alium itidem ex Florentia vincitæ miseramus ante  
 profectioem nostram, qui sceleribus suis vulgo de se fabulam fecerat. Visitationes amico-  
 rum multæ fuere, quibus omnibus gratissima fuit nostra profectio. Angeli mei de Monte  
 Politiano egregiam in me humanitatem, observationemque præcipuam, quid memorem? Con-  
 tendit ille omnium in me officia superare; juvenis planè optimus, atque amantissimus no-  
 stri. Per eos dies, sarcinulis nostris adductis, Chrysofomi Vitam traducere adorsi sumus,  
 Pontifici dedicandam. Placuit eam Romæ Latinam facere, ubi Græcè primùm fuerat scripta;  
 simul ut otium tædiumque vitare hac exercitatione nostra possemus. Quanquàm enim essent  
 plura, quæ solatio essent, & imprimis reliquæ Antiquitatis; nescio quo tamen pacto plura  
 longè inveni, quæ displicerent, quàm quæ afferrent voluptatem ullam. Offendebant maximè,  
 mores hominum, à proposito nostro multùm remoti; quibus tamen connivere consuetudine  
 ipsa cogebamur. His diebus, dùm Bibliothecam Ecclesiæ propinquæ honestam satis evolve-  
 remus; invenimus Origenis in Lucam triginta & novem Homelias ab Hieronymo traductas:  
 tantòque gaudio elati sumus, ut Croesi opes vicisse putaremus; sola enim ex fama notæ  
 erant; cæterùm, qui vidisset aut legisset, adhuc inveneram neminem. Ea res nuntiata Flo-  
 rentiæ; magnum gaudium excitavit, & præcipuè Nicolao meo amicissimo & studiosissimo.  
 Eas continuò transcribendas curavi; unà & alias in tres Psalmos, Auctoris ejusdem: licet  
 volumen ipsum aded putre erat, ut vix pauca legi possent. Contendimus summo studio,  
 quæ ad optimam reformationem Religionis nostræ pertinere videbantur, à Pontifice summo  
 impetrare, per nos ipsos interpellantes sapè Pontificem, & per alios familiaritè illi inhæren-  
 tes, præcipuè per Venerabilem Patrem nostrum Abbatem Sanctæ Iustinæ, Prioremque  
 Sancti Pauli. Erat in nos Pontificis animus benignissimus; sed temporis prævalente malitia,  
 quædam indulgere noluit, quæ consuetudini Curie præjudicium afferre videbantur. Peteba-  
 mus, ut liceret nobis antiquo more, Prælatos Ordinis corripere ac privare etiam (si mere-  
 rentur ea poena plecti), ut juxtà Prophetam, evellere noxia germina, & utilia plantare  
 possemus; eisque substituere, quos sciremus idoneos: Porro Monasteria non nisi per mor-  
 tem Prælatorum vacare in Curia Romana volebamus: Confirmationesque Prælatorum ea  
 lege poscebamus, ut solverent in Curia taxationem consuetam. Nihil horum, liberè, im-  
 petrare potuimus; & hoc extremum, minimè omnium. Indulsi tamen verbo, ut Privile-  
 gij nostris vteremur. Confirmationem tamen nostram concessit liberè; & si Indulta alia  
 (quæ gratis fieri postulabamus) non, ea lege, concessit; voluitque solvi ex more. Quæ  
 verò impetravimus, vtilia & necessaria, fermè ista sunt. Antè omnia plenas autoritatis Bul-  
 las Confirmationis nostræ, in quibus omnis antecessoribus nostris vel à sede Apostolica, vel  
 à Constitutionibus Ordinis indulta facultas, nobis data est: Confirmationem itè Pri-  
 vilegiorum nostrorum, Alexandri iij., & v. cum relaxatione annui census uncie auri,  
 quam, in signum perpetuæ libertatis, Apostolicæ Camere solvere ab Alexandro Quarto  
 iussi sumus, & quæ multis annis soluta non fuerat; ea conditione apposita, ut postmo-  
 dum sollicitè persolvatur, quod negligentè omisum est. Revocationem quoque ma-  
 nualium Heremi, quæ impetrata in Curiam fuissent, in jus ac ditionem nostram;  
 Indulgentiam in mortis articulo generalem omnibus, qui in ordine regularitè vixerint;

Extre-

Extremas tres Bullas, deficientibus pecuniis, antè discessum nostrum habere nequivimus. Romæ fuimus menses fermè quatuor. Quo tempore, parùm otii, & quietis invenimus, adire coacti necessariò quotidie Pontificis fores, amicosque vsquè ad improbitatem salutare. Suscepti sumus à plerisque convivio; nemoq; nos non libens vidit. Per eos dies, quibus applicuimus, rediit illustris & clarus Eques Stephanus Porcius peragrata Gallia, Germaniaq; & Occidente fermè omni, vnà cum illustri Adolescentulo Mariano fratre suo, & ipso Equite; cum quibus fuerat nobis Florentiæ magna gratia præcipuaq; consuetudo. Prætor enim Stephanus Florentiæ insignis fuerat. Dono dedit nobis Marianus puer volumen Hebræum pulcherrimum, in quo magna pars habebatur veteris Instrumenti. Accepimus gratissimè, & egimus gratias. Hoc itè tempore Bartholomæus Episcopus hospitio nos accepit, vir planè bonus; Confessionumq; Augustini volumen aptissimum & antiquum nobis donavit. Traduximus Vitam Chrysostomi, Pontificiq; ornatum volumen obtulimus. Accepit eam gratè admodùm, sibiq; continuò legi ad mensam iussit. Legerat ipse priùs, magna cum voluptate, Chrysostomi contrà vituperatores Vitæ Monasticæ Opusculum. Magna nobis cum plerisque Cardinalibus, præcipueque cum Ursino consuetudo fuit; à quo sæpè convivio quoque accepti sumus; obtinuimusq; ut Monasterium Sancti Egidij de Cortona restitueret nobis, quod ab Ordine vulerat. Non ità fecerunt Cardinalis Sancti Marcelli, qui licèt nos gratè susceperit, de restituendo tamen Sancti Savini Monasterio, nihil audire voluit. Idem & Cardinalis de Comitibus de Monasterio Sanctæ Trinitatis fecit. Non erat Romæ Dominus Sanctæ Crucis, qui Sanctæ Potentianæ Ecclesiam intrà Urbem nostri Ordinis habet. Magna mihi spes erat recuperandæ ipsius, si affuisset, iustis ex causis; servabitur ad reditum illius. Dominus meus Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, quanta me humanitate tractaverit, quis explicare sufficiat? Magna certè nos affectione, & novo semper amore suscepit, vir planè bonus, & Deo dignus, & humilitate, atq; integritate præcipua. Iam uerò de Rothomagensis, Bononiensis, Sancti Xysti, Arelatensis, Cyprij, ac reliquorum humanitate, quid dicam? Sed hæc omittimus. Multus fuit nobis cum illis frequensque tractatus de Basileensi Concilio, cui Pontifex agrè annuebat; ipsis contrà sentientibus. Aded ut pro hac re Pontificem fuerimus alloquuti diutiùs, supplicesque oraverimus, ut occurrere imminenti periculo dignaretur. Multa respondit in rem; neque tamen quicquam profecimus tunc. Præcipuam uerò Antonij Luscij, Cincij, Poggij, Antonij mei de Pissia gratiam, quando explicem? qui mihi pecunias omnes necessarias subministravit, COSMI ac LAVRENTII fratrum, amicissimorumque nostrorum vice, sæpeque lautissimè excepit convivio. Aliorum prætereà ingenia, quibus delectatus sum, omitto retexere; Gregorij mei Corarij, Poeticæ mirificè dediti; Raphaelis clari adolescentis, Ioannis, ac reliquorum; Andree itè Constantinopolitani, & Petri, Græcis literis peritorum: qui omnes nobis miro affectu studuerunt. Perreximus ad Monasterium Sanctæ Mariæ in Crypta-ferrata; ut volumina Græca illic videremus, simul ut memorato Petro gratificaremur, qui à Pontifice fuerat Monasterij Dispensator institutus. Vidimus ruinas ingentes parietum, & morum; librosque fermè putres atque conscissos. Nihil ferè, præter notissima, offendimus. Institueramus Casinense quoque adire Monasterium, nisi bellorum fremitus, & pericula itineris terruissent. Benedictionem quoque sumere ex more, à Domino Bononiensi, Pontificis iussu, parati eramus: nisi vnus ex familia peste correptus, ac defunctus repente, nuntiatas, Cardinalis animum consternasset. Eo impediti, reditum maturavimus iv. Kalendas Iunias, Benedictione Pontificis, & amicorum aucti gratia. Rediit nobiscum amicissimus noster Bartholomæus de Monte Gonzio, fidus admodùm comes. I. itaque die Viterbium venimus; ij. ad Urbem veterem; tertiaque Perusiam, ubi à Thoma nostro, Priore S. Trinitatis, gratissimè accepti, diem integrum remorati sumus. Indè socius nostri itineris, Abbas Vallis-Castri, cum bona gratia nostra Fabrianum profectus, deseruit nos. Invenimus illic Opusculum de Consolatione, Auctoris ignoti quidè, sed benè eruditi. Id nobis à Priore memorato dono datum, gratè accepimus. Profecti Perussia, Arretium venimus; ibique à Fratre nostro Iacobo gratissimè suscepti, postridie ad Monasterium de Poplena pervenimus. Indè, cum ad Monasterium Fontis-boni, societate impediti, ire nequivissemus; Heremitis scripsimus: excusantes, cur ad eos non ivissemus, poscentesque, ut Hieronymum de Balneo ad nos Florentiam mitterent, Deo id agente profectò, nobisque cooperan-

te. Nam per hanc occasionem, lapis offensionis & petra scandali de medio factus est, nobis certe non intendentibus primum. Sequenti die ad Monasterium S. Margaritæ divertimus, atque inde Florentiam venimus, iv. Iunij. Benedictum Romæ reliqueramus, ut infirmanti famulo obsequeretur. Suscepti sumus à Patre Monasterij, atque à Fratribus, & Filiis nostris ineffabili gaudio, & præcipuè recreati sumus aspectu gratissimo & affectu mirabili fratris. Sequutus est è vestigiò iter nostrum Hieronymus accersitus à nobis, nuntiusque itè ab Heremitis seorsùm, quo multùm orabant, ut ad eos sine illo pergeremus; aperti enim se mecum acturos omnia, absente illo. Tractare secum negotia D. B. continuò cepimus; nè frustra accersitus videretur à nobis. Visitationes plurimæ, & gratissimæ fuerunt amicorum omnium, reditum nostrum miro affectu præstolantium. Scriptum fuerat nobis, dùm adhuc essemus Romæ, excessus inauditus & execrabilis impuri hominis M. qui uxorem rustici deperiens, redeunti de via rustico cum armis occurrens, percutere illum voluit; qui incurvo gladio, quem ferebat manu, ictum excipiens sinistra manus pollicem abscidit adultero. Inde clamore exorto, occurrentibus plurimis; in vicinum Castrum se mechus recepit, uxoremque, rustico ablatam, Florentiam abduxit. Vbi ergò illuc venimus, accersitus à nobis; conscientia prohibente, venire absque Advocato noluit. Qui, cum amicus esset, exegit, ut illum non detineremus. Fecimus satis votis ejus. Venientem digna increpatione castigavimus. Purgare se incepit, & invertere negotium totum; Inde proficiscentes, nobiscum illum ducere volumus, ut poenas sceleris daret: importunis tamen amici precibus victi, manere permisimus, dantes illi in mandatis, ut nunquam in locis publicis apparere præsumeret. Reliquimus Hieronymum, profectique ad Heremum sumus; celebritate vicina S. Romualdi invitante, redituri propedièm, ut Benedictionis gratiam perciperemus. Venimus prima mansione ad nostrum Monasterium S. Andreae de Candiculis; sequenti die, Pupium profecti, sermonem cum Comite in multam horam protraximus, impensius orantes; ut juvenem Religiosi habitus, quem tenebat in vinculis, reum licèt, dimitteret liberum. Scripsimus ad illam ex Vrbe literas, atque ex Florentia, hoc idem continentes. Occurrit nobis, ut didicit adventum nostrum, humanissimeque accepit, & magno in honore habuit; redditaque facti sui ratione, quæ vellemus, facturum promisit. Exegimus, jure nostro piscari velle in flumine communi; libentissimè annuit. Post longum sermonem, Socium, die jam advesperascente, pervenimus. Postridiè Reginopolim mane perreximus, Comitem infirmum, visitari. Occurrit nobis, ut potuit, magnoque officio nos accepit. Multis ibi verbis ultrò citroque habitis, ad nostrum Monasterium Fontis-boni perreximus. Offendimus rem satis perturbatam, & confusam per imprudentiam ejus, quem præesse Claustro Monachorum jusseramus. Contendimus ad Heremum, susceptique sumus magna Fratrum nostrorum Heremitarum lætitia. Omnes unanimes postularunt, ut auctorem scandalorum Hieronymum inde amoverem. Voluimus, ut hoc votum suum scripto firmarent, supplicantes, ut illuc ultrà eum redire non permetterem; quod & fecerunt. Postularunt itè, ut & Maurum à suo consortio repellerem, qui in Fonte-bono fuerat relictus à nobis, ut præset Monachis. Fecimus votis ipsorum satis, & quantum licuit, cautè. Peracta deindè Solennitate, compositisque utcunque rebus, Florentiam redire instituimus, ut plurima, quæ imminabant, negotia, gravia satis, tractaremus; simul ut Benedictionis perciperemus munus. Movimus Monasterio Fontis-boni x. Kalendas Julij; visitavimusque Monasterium nostrum S. Ioannis Evangelistæ; eaque die ad Monasterium S. Margaritæ perreximus. Multa cum Priore contulimus, viro prudenti & amantissimo nostri. Postridiè, vigilia scilicèt Nativitatis S. Ioannis Baptistæ, ad Monasterium nostrum S. Mariæ de Angelis venimus. Ceterùm, antequàm proficisceremur Monasterio Fontis-boni, negotium perditum hominis M. subtiliùs indagare volumus; profectique sumus ad locum, ubi scelus admissum est. Ibi x. testes examinavimus singularem, ut exculpere veritatem rei possemus. Omnes uno ore, reum maximi criminis, immò multorum criminum dixerunt. Scripsimus omnia, ipsumque per literas convenimus, ut ad diluenda occurreret crimina. Obedire contempsit. Postea verò quàm Florentiam venimus, multorum nos civium precibus fatigavit, ut illi veniam daremus; venire tamen ad nos nunquam consensit. Conati sumus illum capere, sed fugiens delituit; neque copia ipsius capiendi nobis facta est ulla. Evasit interim manus nostras. Renuntiatum est nobis, quodd & alij quidam

quidam Monachi, partim ferrent arma militum more, partim proditoris rei tenerentur. Indolimus vicem nostram, quod, inter ipsa nostrae administrationis auspiciis, tanta undique insurgerent, quae affligerent animum nostrum, cum nihil ferè letum occurreret, quo posset recreari. Ex his vnum, qui effugerat, teneri fecimus; in reliquos manum nec dum potuimus injicere. Convocari Hieronymum iussimus coram Patre Monasterii, & senioribus Fratribus, breviterq; alloquuti: nè ultra Heremum adire præsumeret, quod eum ultra nollet admittere, sub gravi comminatione præcepimus; interdixit illi etiam scribendi licentia, nè quid scandolorum posset oriri. Graviter ferentem, & ultra contra allegantem, repressimus scriptura Heremitarum; blandeq; consolati, ad Monasterium Burgense, ut petiverat, misimus. Maurum quoque, dum in absentia nostra fureret, & nollet quiescere, datis literis, Venetias misimus. Agitatam diù controversiam inter Episcopum Castellani & Abbatem Burgensem, cum tres contra Abbatem jam essent in Romana Curia latae sententiae; cum Romae eramus, in antiquum statum restitui impetravimus; delegata cura negotii, ut petiveramus, Cardinali S. Xysti. Inde Monachum quendam, extra Ordinem diutius moratum, cum Neapoli esse audissemus, convenire literis, atque ad nos accersire curavimus. Parum tamen hac diligentia nostra profecimus; literis nostris illi, ut putamus, fortè non redditis. Hoc ipsum & de alio fecimus, qui tamen conventus literis noscitur, adiit nos, pollicitus iussis nostris per omnia obtemperare. Florentiae Benedictione celebrata, honesto apparatu; tractare negotia, immò diutius versata repetere cum antecessore nostro, adorsus; ad hoc de consensu Heremitarum, plurimorumque consilio venimus, ut si ducentos, quos fuerat pollicitus, aureos daret, ab omni reliquo debito absolveretur, ea tamen lege, ut, si quas unquam constare nobis posset illum alias habere pecunias, absolutus pro ea summa non esset. Annuit ille tandem, sed rationis calculum reddere tamen velle professus est primum. Dum autem in Monasterio essemus (ubi præter intentionem nostram usque ad Augustum remorari nos impulit M. scelus, contra quem solenniter procedi, necesse fuit) frequentes ad nos amicorum conventus fuere, ipsique amicos aliquos visitare perreximus. Adivimus nostra Monasteria S. Felicis, & S. Salvatoris, hortarique studuimus ad benè vivendum singulos seorsum, & simul omnes. Monasteria item adivimus Monialium Querceti, Buldronis, & S. Petri de Luco. Omnes ad communionem vite instituire cenati sumus; contumaces quasdam repressimus. In Monasterio nostro de Luco triduum remorati (nam accersiti eramus earum literis), componere plura studuimus; & (gratias Deo) fructuosè nos laborasse, gaudemus; multumque spei reportavimus. Inde Florentiam regressi, Monachum alium, militiæ & armis negotiisque secularibus deditum, acri invectione castigavimus. Pollicito emendationem, & reditum ad meliorem frugem, percipimus. Venit ad nos Abbas Monasterii Burgi S. Sepulchri, gravique exposita querimonia contra Abbatem Vrani, impetravit; ut controversiam, quae inter illos agitabatur, Episcopo Britonori, & Archipresbytero loci, bonae vitae viro, cognoscendam judicandamque permitteremus. Initio verò priusquam Romam proficisceremur, cuidam Mattheo curam Monasterii S. Trinitatis de monte Herculis, & Abbatis decrepiti jam & cæci commiseramus ea lege, ut si migraret ille, hic substitueretur defuncto. Abbatem literis consolari studuimus. Hunc igitur ipsum, in absentia nostra ab Heremitis in Abbatem confirmatum, cum in crimine deprehendissemus, amovimus, alio subrogato digniore. Antè verò quam Florentia proficisceremur, *λύπη τις ἐπέσκηψεν καθ' ἡμᾶς τῆ ἡγουμένη τῆς ἡμετέρας μονῆς, ἀγανακτῆντος περὶ κροιοτέρας τριβῆς ἡμῶν. ἤχθῆσθημεν ἀγαπᾶν, καὶ σιωπῆ τὸ πρᾶγμα συγκαλυφόμενοι, ἀπήλασμεν.* Movimus Kalendis Augusti, primaque die venimus ad Pratum vetus; ibi rogati à civibus, sequentem diem, solennem oppidanis, ibi transegitur. Venimus Pupium; ubi à Comite accepti comiter, cum promissi sui illum admoneremus, verba retulimus. Socium, die jam advesperascente, pervenimus. Postridiè Reginopolim petentes mane, Comiti infirmo pedibus, congressi sumus. Ab eo reverentè accepti, ad nostrum Monasterium Fontis-boni pervenimus, egimusque celebritatem Sanctorum Martyrum Donati & Hilariani, præcipuam loci, cum totius familiae gaudio. Ad Heremum iadè tendentes, magno Fratrum obsequio suscepti sumus.



mus. Et quoniam *Ἀρχαιγεσιῶν* propinquabat tempus; magnam offendimus perturbatio-  
nem obortam, quod is qui *Μαίζων* hoc anno suo ordine futurus erat, studere Hieronymo  
illi abjecto putaretur. Advertit hoc ille, magnisque precibus egit nobiscum, ut se absolve-  
rem; multisque lachrymis confessus est pusillanimitatem suam. Eum, & ceteros blandè  
consolati; indicem rerum omnium Heremi facere aggressi sumus. Invenimus in nostro Mo-  
nasterio Prati veteris excitatum grave scandalum perversitate Sacerdotis. Dux enim famu-  
læ puellæ, illo nequam vel agente, vel assentiente vel non prohibente, clam fugerant. Ejus  
rei gratia, coercitum graviter, inde amovimus. *Τὴν δὲ διάκονον* consolati merentem;  
nè, redire cupientes, exciperet, interdiximus consultò; sic enim illa petierat. Cùm verò  
in nostro Monasterio essemus, literis Abbatis Burgenfis certiores facti sumus, abjectum  
Hieronymum, inde aufugisse clam, facto metu, quod à nobis coercendus esset proximè.  
Solliciti verò quorsùm iret; ad patriam & propinquos ac notos divertisse didicimus. Volue-  
ramus vestes illi suas mittere; utque, qui ferret ad se, mitteret, mandaveramus; cùm id, Mo-  
nachus ad nos profectus, agere detrectaret. Consecratione Ecclesie in Heremo, Missarum celebratio-  
ne peregrinatus; & post paucos dies, Altaris Consecrationem intrà cellam, quæ Papæ dicitur; &  
postmodum Ecclesie Pontis-boni celebravimus Dedicacionem. Discessus ille Hieronymi, repente  
nuntiatus, Heremitarum animos terruit. Conventus fuerat Basileensis Concilii literis Hieronymus  
inclusus, uti ad Synodum pergeret. Nos item, ut illum mitteremus, literis æquè urgebamur.  
Ea res, quoniam anceps erat, visa est nuncianda Pontifici; nè contra illius voluntatem,  
quippiam fieret. Scripsimus, sed rescriptum nihil est nobis. Fama interim, quod Pontifex  
Concilio assensum præbisset, pervagante, diutiùs hæsit Hieronymus. Multa nobiscum egit  
de potestate nostra, quod non possemus ipsi per nos Majorem instituire. Responsum illi ri-  
tè est: *Nos illorum Privilegia servare velle, nostra item jura minui, haud quaquam tole-  
rare.* Plurimis in hanc rem dictis, discessum est. Vbi verò *φιλοδοξίας* illi aditus omnis ob-  
structus est; spontè proficisci ad Concilium voluit; consentuque nostro habito, profectus est,  
sumptibus illi necessariis pro viatico suppeditatis. His diebus Abbate Silve-mundæ privato,  
substitutimus in Monasterii regimine Camerarium nostrum. Abbatem verò Monasterii Cant-  
niani præfecimus Fratrem nostrum & comitem itineris nostri Dominicum, Cappellanum no-  
strum. Advenit per hos dies ad nos Franciscus de Sandellis, Abbas de Carceribus, advo-  
catus à nobis, ut Venetias duceret ad Monasteria partium visitanda; sed nos ibi non in-  
venit; profecti nanquè ad Burgum S. Sepulchri fueramus, vbi magna omnium expectacione, in-  
gentique læticia totius plebis accepti, qui nobis obviam extrà Oppidi januam occurrerant,  
Kalendis Septembris, quandò annua Dedicacionis celebritas agitur, in nostro Monasterio  
Missarum solennia celebravimus, totius populi concursu. Ibi paucis diebus remorati, quos-  
dam ex Monachis corripuimus publicè; omnesque seorsùm atque communiter hortati ad  
benè honesteque vivendum, bonam retulimus spem. Adivimus & Monasteria semirupta  
S. Catharinæ, & S. Margaritæ; bonaque Monialium fama satls recreati sumus. Eas blandè  
hortati, atque ut in communi vitam agerent suadentes, læti discessimus. Offendimus Mo-  
nasterium nostrum S. Ioannis gravi ære alieno pressum, conatique sumus moderari foenus,  
& pignora recipere à creditoribus, idque obtinuimus. Quædam ibi constituimus, honestati  
convenientissima, & maximè; nè in cellulis Monachorum Sæculares aut Clerici admitteren-  
tur ad dormiendum. Compositis utcunquè rebus, inde proficisci instituvimus, reditum no-  
strum maturè pollicentes assuturum. Per eos dies visitaciones crebræ fuerunt civium, qui  
oratione quoq; Marii amici nostri nos laudare voluerunt. Visitavimus & Governatorem  
Oppidi ex officio nostro, sermonemque cum illo diutiùs protraximus, à quo sumus hu-  
manissimè accepti. Inde ebevntes, comitati sunt nos fermè ad duo millia passuum quidam ex  
amicis nostris. Abbas verò & Monachi quatuor Anglarium vsquè prosequuti sunt. Iura-  
verant omnes in manibus nostris obedientiam, qua die veneramus, susceptique cum pro-  
cessione solenni fueramus. Anglarium item, ubi propinquavimus, Abbas cum Monachis  
obviam cum processione venerunt extrà Oppidi januam; sicque ad Ecclesiam usquè deduxe-  
runt. Ibi solennitate servata, juratum est item ab Abbate & Monachis in manibus nostris.  
Iam noctem; ibi egimus, indigneque accepimus Abbatis negligentiam. Crimina  
adver-

adversus illum plurima, jam tamen; eam effemus Romæ atque Burgi. Ea inquirere diligentè, animus est. Anglario mane proficiscentes; Abbas Dicianum usque comitatus est. Illuc ex conducto (ut putamus) Legati Capresani nos studiosè adierunt, referentes, Monasterio Abbatis titulum subtrahi, Abbatemque ipsum commendantes. Respondimus, quæ tempus & ratio deprecere videbantur. Indè profecti, ea die Socium advenimus. Ibi certiores facti sumus, Abbatem de Carceribus advenisse, nostrumque opperiri reditum. Postridiè mane pergentes ad nostrum Monasterium Fontis-boni vi. Septembris, ab ipso, & socijs, ac reliquis gratissimè accepti requievimus ibi. Continud renuntiatum est nobis Hieronymum illum Pupij se continere, atque foveri à Comite amico nostro. Ea re offensi, scripsimus ad Comitem; ut illum traderet nobis. Accepto responso, quo requirebat præsentiam nostram, ut coram tractare negotium possemus; quia instabat *Ἀρχαιγεσιών* dies, neque pergere ipsi valebamus; Abbatem ipsum, & Dominicum nostri itineris comitem cum literis & nuntio direximus, quo, ut Hieronymum ipsum traderet nobis, iteratò petebamus: vel, si id displiceret, suæ saltè ditionis solo illi interdiceret. Acceptis humanitèr nuntijs nostris; primum illud exequi renuit, dicens: se nolle contrà fidem suam quicquam; dedisse illi conductum, atque idèd tradere illum nequaquam posse. Repulsi prima postulatione; ut saltè, quod secundo loco petebatur, annueret, instabant Legati nostri. Grate primùm respondit; deindè Hieronymum ipsum, qui intrà Palatium servabatur, diù alloquutus, atque cum illo vnà rediens; præsentibus illi Legatis inhibuit, si rebellis esset noster, in territorio suo morari. Ad hæc, negare illè, se hujusce criminis reum. Tum constantèr Abbas alloquitur Comitem; non ità inter se convenisse, asseverans; illum, non esse facti sui optimum judicem. Quid multa? Comes in sententia persistit; atque ità discessum est, dum ille reo nostro interdicare territorio suo noluit. Relatus hic nuntius nos immodicè contristavit; quòd indigna nostra amicitia tantus vir perpetrasse videretur. Dehinc officia instituire in Heremo, atque in Fonte-bono perreximus ex more, viij. Septembris. Magna ex propinquitate Hieronymi, contentio inter Heremitas orta videbatur, quòd is, qui eligendus erat Major, Hieronymo studere videretur. Tandè compositis & pacatis omnibus, officijsque injunctis, ut solenne est; ad Monasterium ea ipsa die redimus, officia itidè disposituri. His ritè peractis; de consilio & consensu omnium, Florentiam pergere instituimus, ut machinationibus Hieronymi possemus occurrere, qui scripsisse literas, conductumq; postulasse, immò & impetrasse ferebatur. Hortati familiam, die ix. discessimus, comite nostri itineris Abbate memorato. Sanè, antequàm proficisceremur, non omisimus, quin Comiti scriberemus plenas querimonie literas. Venimus ad Pratum-vetus, ibique visitato Monasterio; post prandium, adhibito Notario, collationes tres exegimus; Monasteriumque S. Michaelis de Castro Britonum propè Bononiam (quod diutissimè ab Ordine subductum, Fratribus gaudentibus cesserat, & modò, post obitum omnium, ab vno, solo superstite, sub pactione pecunie annue Fratribus S. Brigidæ consignabatur) Domino Damiano contulimus, ut esset, qui causam Monasterij atque Ordinis ageret. Monasterium itè S. Christinæ de Trivisio, eandem, quæ se pro Abbatisa gerebat, Abbate ipso consulente; & Monasterium S. Michaelis de Heremo, socio itineris sui, profecto satis viro, contulimus. Ipsa die ad Monasterium S. Margaritæ, ac postridiè Florentiam hora fermè ix. pervenimus, vigilia SS. Martyrum Prothi & Hyacinthi, quorum corpora in Ecclesia nostri Monasterij nostro studio condita sunt. Ipsam celebritatem egimus cum Fratribus nostris, à quibus comitèr accepti fueramus. Literas dehinc à summo civitatis Magistratu cum gratia impetravimus, quibus juberetur omnibus, ut favere nobis contrà rebelles omnes maturarent. Multa tentata sunt, ut fundum nostrum Camertinum venderè, & pecunias creditoribus restituere quivissemus. Scriptum quippè fuerat nobis à fratre; non deesse, qui cccc. aureos mutud darent, ea lege, ut tandiù fundi perciperent fructus, quòd ad pecuniam suam illis redderemus. Verùm hæc, & alia, potior quoque, conditio evanuit. Aggressi sumus magno studio agere negotium cum D. B. dudum innotum, cujus nequicquam tentati instantia nostra, indignitatè agreferebat Prior S. Margaritæ, homo nobis amicissimus. Missimus primò Abbatem nostrum de Carceribus, qui, verbis ultrò citroque multis frustra consumptis, vacuus redijt. Perreximus ipsi postmodum,

homi-

hominisque pertinaciam verbis castigavimus; parati illum, si peristeret, cogere. Humiliter satis respondit, presentibus Abbate ipso, & ipsius Monasterij Patre. Demum, conclusum inter nos est; ut, habita Heremitarum deliberatione, ipsum ab omnibus absolveremus, pactamque pecuniam reciperemus. His diebus orta est nobis cum Fratribus nostris de nostra potestate contentio; putantibus illis, se à jure nostro per suas exemptiones fore alienos. Consilium super ea re accipere placuit; inventumque est, illos longè falli. Neque enim præjudicarunt illorum Privilegia Constitutionibus Ordinis, & Apostolicis literis, plenissimam auctoritatem Generali Religionis Patri tribuentibus. Erat nobiscum Abbas noster, quem diximus, videratque, quam esset necessaria nostra presentia; benevoleque satis admonuit: super sedendum profectioi nostræ ad eas partes; se paratum, quando esset opus, redire, & nobiscum illuc pergere. Ejus benevolentiam amplexi, manere decrevimus. Multa contulimus secundum genus & speciem, nunc de Religionis totius, nunc de singulorum Monasteriorum statu. Eidem literas dedimus, ut Suffraganeos quoque Monasteriorum visitare posset, atque corrigere. Collectas quoque in illis partibus, ut exigeret, injunximus non reluctanti. Sicque cum bona nostra gratia profectus, literas nostras ad Dominum Fantinum, Bononiæ Governatorem, S. Michaelis negotium commendantes, & ad alios plures detulit. Visitavimus nostra Monasteria, Fratresque ad benè vivendum, quibus modis potuimus, hortati sumus. Blandè Priorem nostri Monasterii allocuti, diuturniorem nostram præteritam moram excusavimus. Plura sæpè de negotiis nostris cum illo contulimus, honorandi causa, & ut præterita illum commotionis pigeret. Neque tamen profecimus quicquam; idem enim perseveravit postmodum, qui antea fuerat. Animadvertimus id apertis indicijs, hinc ut inferantur, nequaquam necessarijs; aded ut, acrius illius ἀκρασίαν καὶ τυφλὸν coercendi, animus fuerit. Προσπεξίμους paci juniorum καὶ τῶν ἡμετέραν ὕδρον, qua mente toleravimus; acturi de illo, quod Dominus inspirare dignabitur. Conclufimus tandem negocium D. B. pacificè, pecuniasque recepimus; absolves illum, ab administratione omni plenè. His diebus M. ille, de quo nobis sermo fuit; Roma rediens, literas à Cardinali Ursino commendatitias detulit. Neque tamen ipse ad nos venire ausus, Abbate nostro patrono in causa sua usus est. Eo instante, ita demum illi remisimus injuriam carceris; si pergere Venetias, atque biennium in nostro Monasterio S. Mathiæ remorari vellet, acturus poenitentiam. Multa pollicitus, postquam in conspectum nostrum venit, multis lachrymis profusis, agrè obtinuit, ut ad Monasterium Vallis-Castri mitteretur. Movimus Florentia antè lucem, Kalendis Octobris, evitandæ cujusdam necessitatis gratia, venimusque die ipsa Socium. Vidimus postridiè ex amulsim singula, & loca omnia diligentè inspeximus, intento ad refarcienda, quæ malè dissipata erant, animo. Indè propinquæ nobilissimæ vineæ nostræ vindemiam inspeximus, atque ea ipsa die vineam aliam, contemplari perreximus; sicque ad nostrum Monasterium Fontis-boni, die jam advesperascente pervenimus. Offendimus rem satis conturbatam per absentiam nostram, & plenam confusionis omnia. Illic nos adiit Frater noster Jacobus, Prior Monasterii S. Mariæ de Angelis de Bononia, rationes asserens, cùm A. Monachum adolescentem, in suo Monasterio locatum à nobis, nolisset admittere. Visus est rationabilia prosequi, atque ided illum hac necessitate liberavimus; mittentes memoratum adolescentem ad Monasterium Vallis-Castri. Dedimus illi tres pueros Monachos, tribus Monasterijs nostris, quæ sunt Bononiæ, singulis singulos, assignandos. Licentiam antè discessum nostrum, nostro Monasterio dederamus, xiv. argenti sacri libras distrahendi, animo licèt ingrato, & multum renitente; maxime, quod hoc, non per se Monasterij Pater, sed per interpositam personam postulare. Priori item Monasterii Sancti B. possessiones mille florenorum vendendi, licentiam, post discessum nostrum, per literas dedimus. His diebus literæ à Comite nobis redditæ, presentiam requirebant nostram. Cùm se, quocumquè mallet, venturum polliceretur; malimus adire illum, humilitatis gratia. Animadvertit us ex familiari colloquio, eum, non nisi bono animo, & intentione pacifica Hieronymum detinuisse, & eatenus detinere; ut illi persuaderet humilitatem. Multa in hanc rem contulimus. Faciles ad ignoscendum invenit, si modò culpam suam ille vellet agnoscere. Vbi verò nequicquam sudatum est, neque monitis amici fide-

tèr consulenti acquievit; suæ illi ditionis interdixit solo. Conatos se capere, arte elusit; aufugitque contestus veste muliebri; licèt nostrorum quoque negligentia evasisse dici possit. Indè profectus, se ad Balneum contulit, commovitque Gerardum & oppidanos omnes, ut ad nos Legatos mitterent, poscentes primò ut redire liceret ad Heremum; vel (si id displiceret) ibi in aliqua Ecclesia remorari sineretur: postremò, ut vel sua ei vestimenta mitteremus. Advenientes Legatos, & magna inconstantia postulantes ista, responso rationabili fregimus, neque ulli hujusce conditioni acquiescere voluimus. Admonuimus tamen; si redire vellet ad cor, & veniam postularet, nos illius admissuros pœnitentiam. Postremò Dominum oravimus, ut illum vel traderet nobis, vel suo territorio emitteret; quod benevolè quàmprimùm fecit. Indè profugus, & nusquam securus acquiescens, ad Sarfinitatem contendit Episcopum; ad quem literas dedimus; utque rebellem nostrum, in nostri contumeliam, non detineret, exegimus caritatis jure. Rescripsit benignè; seque, & plena cum caritate suscepisse, ignarum rerum, excusavit, & solo suo jam interdixisse signavit. Magna querimonia nobis contrà Priorem Sancti D. fuerat exposita, quòd institutus exequutor testamenti cujusdam, malè administrasset, & in se legata retorqueret. Conventus itaque literis nostris, se se contulit ad nos; prospectisque rationibus suis, injustè calumniam passum deprehendimus; rescripsimusque honestè, quantum licuit, accusatori, & Priorem ipsum à nobis cum gratia dimisimus, multis verbis admonitum. Scripsimus per illum literas, negotium Monasterij S. Michaelis, de Castro scilicèt Britonum commendantes. Interea venit ad nos, accersitus literis nostris Vgolinus Abbas S. Hippolyti, quem in domo parentum vivere (ut par erat) agrè tuleramus; liberè se permittens nobis, & obtemperare paratus. Accepimus gratissimè hominem, animatumque blanda pollicitatione dimisimus. Per eos dies, rationabili nos causa evocante, licèt pluvia obstaret perreximus ad Burgum Collinæ, exactoque negotio venimus ad Pratum vetus. Ibi cibo & calore recreati; quoddam festivitas omnium Sanctorum immineret quarundam Confessiones audivimus; & cum *Αμυν τῆς Μονῆς* diutius protracto sermone, invenimus, quæ multum displicerent in ea. Indè postridiè ad Comitum nostrum profecti, multis consumptis verbis, Socium remeavimus. Deindè vicinam solennitatem auri, Camaldulum rediimus. Eò nos adiit Dionysius noster Venetijs profectus, visitandi gratia, multas ad nos literas afferens nobilium, Priorem S. Matthiæ commendantes. Orta erat illi cum Abbate nostro de Carceribus simulas & adversus illum indigna suspicio, quòd vices nostras illis in locis agens, putaretur hæc & illa contrà Monasterium & Priorem memoratum velle. Neque cunctatus erat, multa illi crimina objicere, idque in laicorum nobilium aures. Displicuit mirè tanta insolentia, eamque comescere ex nostro instituto perreximus, datis ad illum literis, ejus stultitiàm castigantibus. Nobilibus itèr respondimus rationabiliter & humanè. Attulerat literas itèr commendantes Augustinum quendam, improbum adolescentem, qui Monasterio memorato projectus sua & Prioris intemperantia, redire illuc omninò decreverat, & ut permitteretur instabat, à nobis sæpè passus repullam; locatusque subinvicem in duobus Monasteriis, ire neglexerat. Multa contulit nobiscum Frater memoratus & de Priore suo, & de Abbate memorato, & de statu Monasteriorum, ac de moribus Monachorum; sollicitudineque cumulosos reliquit. Petebat plurima ex persona Prioris; ex his, quæ honesta videbantur, indulsumus. Multa & de mæroris nostri causa, inter nos & nostrum exorta Monasterium (quia indè veniebat), locutus est nobiscum; eique cautè satisfacere conati sumus, literis Hieronymi fratris nostri admoniti, & ipsius morum non ignari. Dedimus ei literas ad Augustinum memoratum, mandantes illi: ut omni dilatione postposita se conferret ad nos. Quicquid postremò postulavit indulsumus; auctumque nostra benedictione dimisimus. Interea fratris literis certiores facti, Fratres nostri quanta essent adversum nos indignatione concitati, & maxime Pater Monasterij, & duo alij; consulere Jurisconsultum de potestate nostra instituimus. Clarum itaque ipsius professionis virum, D. Stephanum Bonacursum, literis monuimus ut non nostram, sed justitiæ causam tuendam susciperet. Rescripto consuluit. Acri dolore cruciati sumus, animadvertentes, hanc amori nostro vicem reddi; peccatisque nostris impetivimus, quòd viscera nostra violentè à nobis sentiremus avelli. In hanc rem sæpius scripsimus fratri, & cæteris, qui nobis scripserant, nostram illorumque mæstitiam consolantes.

Inter hæc, repetitis nostri Comitibus literis orati: ut diem locumque constitueremus colloqui nostri; Pupium secundò profecti sumus. Illic ab eo comiter, ut solebat, accepti; sarcinam gravem & permolestam adjectam nobis ingemuimus. Literis quippè Pontificis Romani, negotium visitandi Vallumbrosani Ordinis injungebatur nobis. Id negotii Romæ præsentibus nobis attentatum, excutere sæpiùs conati; securi jam acquiescebamus, nihil tale suspicantes. Doluimus quidè, eam provinciam molestissimam nobis injungi; sed & Comes ipse indoluit vicem nostram. Quippè solùm Pupiense Monasterium visitandum nobis injungi cupiebat. Cardinalis præterea Vrsinus, ejus Protector Ordinis, ad hoc vehementer suis literis incitabat. Quid plura? Arcto in loco circumventi, neque exitum reperire valentes; rescripsimus socijs nostris: Si vellent hieme præsentem visitare, nos illis affuturos; alioquin, oriente vere, Religionis nostræ negocia peracturos. Per eos dies, cum ad nostrum Monasterium redissemus, adiit nos carissimus Thomas Perusinus, literis nostris evocatus, & officio suo satisfaciens. Plurimè cum illo contulimus, & præcipuè de Monasterio S. Trinitatis, quod Cardinalis de Comitibus restituere Ordini intenderat; cujus etiam rei causa fuerat imprimis accersitus. Monacho suo, Manuale nostrum quoddam propè lacum Perusinum, contulimus, S. Mariæ titulo insigne; plenumq; gaudii & bonæ spei dimisimus. Repulimus quendam ex Prædicatorum Ordine, sui itineris comitem, volentem Religionem nostram profiteri; & alium subindè, Arretii hoc ipsum flagitantem. Literæ plurimis ex locis allatæ sollicitabant animum nostrum; cum repente, vitandi tædij causa nos contulimus Socium. Advenerat ad nos Domnus Rainerus Prior, nobis meritò carus; quem Camerario à nobis instituto necessariò substituimus familiæ solatio & Monasterij utilitati consulentes; curarum nostrarum socius, comesque fidissimus. Socij biduò remorati, nuntio certiores facti sumus; socios nostros adventasse Pupium, accessumque ad se nostrum præstolari. Profecti continuo, die jam advesperascente pervenimus. Occurrit nobis Comes noster ad pontem; sequuti sunt illum comites nostri, aliquandiu expectati; sicque simul oppidum ingressi sumus. Plurimis indè sermonibus habitis cum Comite nostro, datoque initio rei, pertractatisque quibusdam, ipse Socium redij, socijs intra Monasterij claustra manentibus. Duo quædam instituerant absentibus nobis, quæ nequaquam approbavimus; iuris consultum, & Notarium assumentes absque conscientia nostra. Postridiè rediimus summo mane; adorsique post prandium Visitationis officium, quinque ferme perpetuos dies transeginus; & an aliquid profeceremus, incerti sumus. Nos in Palatio Comitibus hospitium per eos dies habuimus, humanissimè accepti jugiter. Displicuit in socijs immodicus apparatus; neque contulimus, quin sententiam nostram, leniter tamen, explicarem. Post examen diligentissimum; cum de instituendo ibi Vicario sermo haberetur, & hunc ille, hic alium præferret: ut Mariotum nostrum, ibi dimitteremus, impendit à nobis postularunt. Advenerat enim ad nos visitandi causa, neque ipse modò, verùm Abbas quoque nostri Monasterij Vallis-castris. Durum quidè visum est; sed, orantibus nequaquam reluctari diutiùs, consilium fuit. Itaque, ut onus ipse subiret, imperavimus; fecitque satis voto nostro. Visitavimus Comitem, vidimusque omne Palatium, & cisternam valde mirabilem, ipso duce & præeunte, conspeximus; multamq; ingenij ipsius elegantiam sumus admirati. Nihil enim non fermè manibus suis transigit. Accessit ad nos, dum adhuc ibi essemus, Abbas noster S. Mariæ de Agnano, multaque contulit nobiscum de dispositione sui Monasterij, opem nostram implorans multum. Consolatum à nobis, quantum licuit, dimisimus. Abeuntes è Pupio, Comes ipse aliquandiu comitatus est honoris gratia. Discessimus ab invicem, ea conditione proposita: ut quamprimum successorem Marioto mitterent, nè invidiæ pateret aditus, quòd alieni habitus Vicarium ibi constituissimus. Orarunt, ut mox Florentiam pergerem; quòd facturum pollicitus, inducias, donè Arretium pergerem, postulavi. Veni Socium, & indè Camaldulum. Redierat ad me non vocatus Vgolinus noster, causa satis probabili inductus. Occupati paucis diebus in dispositione domus, iter arripuimus, eo consilio, ut Arretium primò, indè Castellionem, Anglarium postea, Burgumque peteremus. Movimus Socio iij. Decembris, & ipsa die Arretium venimus, pluvia nos semper comitante. Accepti humanissimè à Iacobo nostro Abbate, paucis ibi diebus remorati sumus. Quo tempore, dum Monasteria nostra viseremus, comperimus, neglecta fuisse monita nostra, Prælatosque

ac Monachos non abstinuisse à Monialium visitatione. Doluimus: & hanc transgressio-  
nem acri invectione infectati, quosdam secretiùs corripuimus; adiectis, ni desisterent, mi-  
nis. Moniales nostri Monasterij acriùs castigavimus, inhibentes: *ne ultra panem Abbati*  
*illi facerent*; omnemque aditum obstruere conati sumus. Non defuit, qui precariò posce-  
ret; permitti sibi audire Confessiones Monialium quarundam extra oppidum, & alterius  
Ordinis. Ejus improba & importuna postulatio à nobis severitate congrua repulsa est. Vi-  
sitavimus Fratres nostros Abbatem S. Floræ & Monachos reliquos, & præcipuè Hierony-  
mum meum; foederareque disjuncta, & disrupta fermè resarcire curavimus, bona cum gra-  
tia Abbatis ipsius. Fratres itè montis Oliveti gratissimè vidimus. Habitum Religionis  
puero bonæ indolis dedimus in nostro Monasterio S. Clementis. Ibi dùm essemus, Abbas  
S. Michaelis impensius commendavit nobis Ioannem Monachum Arretinum, quem, dùm  
Roma rediremus, propè Urbem-veterem inveneramus, eò proficiscentem, & ex cujus ore  
seriem omnem vitæ impudicè actæ didicimus. Petebat memoratus Abbas. ut, si ad nos ire  
vellet, lenitè eum ad poenitentiam lusciperemus. Venientem benignè suscepimus, & ad  
meliorem vitam hortati, plenum bonæ spei dimisimus à nobis, assignato illi termino, quo  
rediret ad nos. Arretij dùm essemus, visitavit nos Legatus Florentinorum Rodolphus Pi-  
ruccius, amicus noster; cui etiam literas & ad Pontificem & ad Cardinalem Visinum dedi-  
mus, petentes absolvi à Visitationis officio. Illuc venit & Ioannes noster adolescens ex  
Castellione, & cum eo necessaria multa tractavimus. Dùm adhuc Papij essemus, adierunt  
nos Florentinorum exactores, auxilium postulantes: inopia nostra nequicquam allegata,  
cc. sextarios tritici dare, tandè pacti sumus. Hi nos Arretij quoque convenere; eisque  
memoratum frumentum intrà Castellionem assignavimus, mutuo accepto à Ioanne ipso ma-  
xima ex parte. Indè profecti, Anglarium petebamus; iterque aliquandiù per plana facien-  
tes, devenimus in ascensum præcipitis montis, gelu nos & nive comitante. Pervenimus  
Anglarium die jam declinante in vesperam. Offendimus, Abbatem paulò antè exisse, ut  
Burgum peteret; qui, signo admonitus, cum adesse nos comperisset, redire noluit. Per-  
gebat eques, puerum amasium suum ducens, turpitudinemque suam conspici à nobis detre-  
ctavit. Eam noctem ibi agentes, postridiè Vicarium sumus alloquuti diutiùs, & de ho-  
mine nequam grandis nobis sermo fuit; jamq; privandi eum cogitatio fuit. Consilio cum  
socijs itineris agitato, Burgum ire properavimus; quò, cum propinquarem, obvios ha-  
buimus Burgensem & Anglarem Abbates, qui, ut deducerent nos, adveniebant. His comiti-  
bus ingressi oppidum, magno favore omnium excepti sumus. Visitavimus continuò Guber-  
natorem Rogerium, antiquum amicum, & Jurisconsultum celeberrimum; à quo gratè ac-  
cepti, sermonem diutiùs protraximus. Vbi verò nos cognovit ex nomine (nam aspectu  
non norat); tum verò mirificè gavissus est, eamque lætitiã suam & gestu & verbis facile  
significabat. Ad Monasterium reversi, Fratres hortati, *ad bene vivendum*, sumus; quos-  
dam ex his severiùs corripientes, in quos Abbas ipse imprimis invectionus erat. Secundò Ro-  
gerium ipsum necessariò visitavimus, intentionem nostram expoentes adversùs perditum  
hominem, & necessarium postulantes auxilium. Benignè pollicitus est; & justitiã arden-  
tè exequi hortatus, dimisit à se. Postridiè, idest xii. Decembris indè discessimus; Abba-  
tem memoratum ducere nobiscum instituentes unà cum Burgense. Reliquimus ibi Came-  
rarium nostrum, ut interim Anglarium pergeret, confectoque rerum omnium indice, testes  
examinandos contra illum curaret. Ità & factum est. Venimus ea die ad Monasterium  
Deciani; Abbate ipso comitante, & multa pro se, & contra Antonium Monachum suum pro-  
sequente. Ibi magna vi precum & per se & per alios institit; ut, eum abire, permitterem.  
Neque tamen, quò petebat, obtinuit. Sequenti die, cum, ob nimiam vim inundationis,  
annem transire absque periculo nequiremus; conscendimus propinqui Castri collem aspe-  
rum, ut trajicere commodiùs breviores aquas possemus; verùm præceps torrens & saxa  
volvens, quò erat angustior, eò periculi plùs habebat in transitu. Cunctatis aliquandiù,  
& hæc atque alia nequicquam tentantibus, consilium tandè fuit: ad pontem regredi bre-  
viore quidè; sed præcipiti, & stricto calle. Conscendimus montis cacumen ardui; perque  
ejus dorsum fermè quatuor millia passuum iter agentes. Egimus solennitatem Dominicæ  
Nativitatis in Heremo nostra. Oraverat nos & nuntijs & literis Abbatissa Monasterij Pra-

ti veteris; ut celebritatem Monasterij secum ageremus. Itaque compositis negotijs nostris, ut pro tempore licuit (Florentiam enim, visitandi Vallumbrosanae Religionis causa, ire necessaridè compellebamur) vii. Kalendas Ianuarias contendimus ad Pratum-vetus; quò vix tandem die advesperascente pervenimus, acri ventorum vi maximè afflicti. Egimus festivitatem B. Ioannis in ipso Monasterio, multùm consolati de bono instituto, & honesto Ancillarum Christi apparatu. Vnam ex his, secretioris vitæ desiderio & studio intrà brevem, cellulam se continentem, & orationis ac lectionis studijs deditam; ipsius precibus victi, Matre tamen Monasterij comitante, visitavimus; & *in opere Dei, sacraque quietis instituto confirmare curavimus*: admirati nimium ipsius hanc mutationem, & in ea benedicentes Dominum. Deindè hortati omnes *ad benè regulariterque vivendum*; v. Kalendas Ianuarias profecti, ea die ad consuetum S. Margaritæ hospitium venimus. Priùs, antè quàm nostro Monasterio Fontis boni moveremus, contuleramus Ecclesiam S. Luciae de Ancona D. Ioanni Monacho Abbatis Vallis castri, cuius mihi solatium Dominus clementia singulari providebat, ut eum, vices gerentem nostras, in Monasterio linqueremus, securi de illius fide, ac religione singulari conjuncta prudentiæ. Venimus Florentiam iv. Kalendas Ianuarias. Sed antè quàm ingrederemur civitatem, consilium fuit, explorare Prioris nostri sententiam; vellet ne ut Monachum, an verò ut Prælatum suscipere. Divertimus ea die ad Monasterium S. B. Vbi certiores facti ipsius voluntatis, postridè urbem introire constituimus, visitaturi priùs Cardinalem Rothomagensem, ac tùm demùm ad Monasterium nostrum profecturi. Excepti sumus honorificè à Priore & Fratribus nostri Monasterii S. B. offendimusque animum antecessoris nostri fractum ac debilitatum in sanctæ Religionis instituto. Siquidem apertè protestatus est; se vitæ asperitatem ferre non posse, senem jam atque infirmum, multumque se commendavit nobis. Eum bona spe relevare studuimus, pollicentes: *nos, ubi honestè liceret, illi non defuturos*. Multis tamen verbis, cum, ad perseverandum in Dei opere, animare curavimus. Itaque iii. Kalendas ingressi civitatem; Prælatos Ordinis nostri ad nos invitavimus, ut eis maximè comitibus Cardinalem amicissimam nobis adiremus. Roma ille clam discesserat, & præter Pontificis nutum, Concilium aditurus. Suscepit nos benignè, & cum bona gratia. Indè digressi ad nostrum Monasterium venimus. Occurrerunt nobis Fratres nostri, ipseque Monasterii Pater, grateque acceperunt. Serò, cùm consueti cubiculi locum nos mutare oportere, nuntiante Fratre, percepissem, Monasterii Patrem accersiri iussi, solusque soli omnem præteritæ commotionis causam exposui, & quid sibi vellet hæc repentina mutatio, sollicitè inquisivi. Benè ille, rationabiliterque plura exoptulanti respondit, & veniam postulavit. Negotium Visitationis protinus aggredi volumus; sed paucis diebus superfedere coacti sumus. Per eos dies adierunt nos plerique Prælati, consultaturi nobiscum, quid factò opus esset in collecta, indicta per primores civitatis Clero. Multis ultrò citroque sententiis, pro ingeniorum varietate, dictis, hæc fuit conclusio: *negotium majori numero Clericorum ac Prælatorum esse tractandum*. Convenimus in Monasterio S. Mariæ, juxtà condictum; placuitque omnibus: *ut Cardinalis imploraretur auxilium; petereturque à Decenvirali Magistratu: ut de voluntate Pontificis fieret Cleri solutio; dareturque dilatio ad novas fruges*. Ipse ea legatione functus sum. Sed parùm profecit ista nostra diligentia; ipso quidè ad omnia parato impendere operam & opem suam: verùm rebus ità afflictis, ut neque ipse exauditus sit. Alteri quoque, nobis à Pontifice injuncto, operi per eos dies incubuimus. Frequentes ad nos amicorum concursus fuere. Exoptulare coràm Monasterii senioribus libuit, de modo intemperantiæ præteritæ; fecimusque. In eam rem plurima utrinque dicta sunt, cùm è confesso Pater Monasterii repente resiliit; ipsius commotionem blandè postea corripuimus. Adhibitus est, qui negotia componeret, Iuriconsultus amicissimus nobis. Opiniones de nobis falsò præsumptas *quòd quasi iura Monasterij temerare vellemus*, publicè, Fratres omnes allocuti, refecare curavimus; quantumque in nobis fuit, omnium corda lenivimus oratione nostra; & simul omnes, & seorsùm singulos, ad pacis indisruptum foedus sectandum, die noctuque incitantes; satisque, miserante Christo, profecimus. Adiit nos Vallumbrosanus Abbas, commendavitque Religionem suam; neque ipse solùm verùm Abbates quoque plurimi. & cum eo paritè, & seorsùm singuli, quique rem suam commendantes. Triduum fermè in nostro Monasterio S. Salvato-

ris remorati; ad pasqua consueta rediimus. Literas, à Duce militiae Florentinorum Nicolao, secundò percepiimus; Abbatem Monasterii de Anglario summa ope commendantes: neque ipsius modò, verùm aliorum quoque precibus fatigati sumus. Responsum omnibus est rationabiliter. Demùm, cùm hæc atque illa moliri diceretur, Monasterii ipsius commodis consulentes, Abbate ipso ad Claustrum revocato, substituiimus ei digniorem, hominem, scilicet, optimè de nobis meritum, Raynerium Priorem S. Mariæ de Balneo. Profectus ille, possessionem Monasterii pacificam cepit, cùm postridiè superveniens, armata manu, abrogatus ille, eum indè disturbare voluit. Nihil tamen profecit; nam, ut id significatum est nobis, literas ad Ducem illum & à Decenvirorum Magistratu, & à privatis civibus scribi fecimus, ipsiq; scripsimus; admonentes eum, & infamis vitæ hominis, & honestatis suæ. Rescripsit placidè ac lenitè; nihilque homini ultrà auxilii impendit. Hominem quoque ipsum convenimus literis, sub anathematis poena mandantes, ut se intrà certum diem conferret ad nos. Parere contempsit, immò nè literas quidem accipere aut legere voluit. Cæterùm hæc affigi majoris Ecclesiæ valvis imperatum est, omnesq; didicerunt, qua ille fuisset poena conventus, illo in malis perseverante, neque proficisci ad nos consentiente. XX fermè die postquam Florentiam veneramus, Prælatos quosdam Vallumbrosanæ Religionis in Monasterio S. Trinitatis adhibuimus; lectisque Apostolicis literis, hortati omnes sumus ad zelum domus Dei, atque ad retagenda vulnera sua, ut posset per nos remedium congruum adhiberi morbis singulis. Abbatem Henricum ejus Monasterij invenimus, bonum planè virum, & vitæ laudabilis. Triduum ibi, visitando, & necessaria disponendo, consumpsimus. Indè ad Monasterium S. Pancratii profecti, biduum egimus: Abbatem itidè, boni testimonii hominem, adhortantes atque ad meliora provocantes; ibique itèr compositis rebus, ad S. Verdianæ Monasterium, quia extrà muros civitatis est, pergere instituiimus. Offendimus ibi laudabilem Ordinem, vitæque communionem, & in sexu fragiliore observantiam admirandam, & præcipuam honestatem. Exhortati eas sumus ad profectum, atque ad perseverantiam boni operis, & ad virginitatis illibatæ veneranda certamina. Quædam ibi quoque necessaria constituiimus pro conservatione Monasterii. Ancillas deindè Christi, multùm sanè consolati, reliquimus; atque ad aliud extrà muros Monasterium perreximus, ubi singularis observantiæ Regularis bonum non minùs vigere, quàm in primo, deprehendimus; licet ab hoc illud derivaret. Laudavimus Deum, quòd præter spem expectationemq; nostram, tantum in vasis fragilioribus Divini amoris invenimus: hortatique ad meliora, & ad sancti certaminis perseverantiam animantes; nonnulla itèr salubriter statuentes, indè discessimus, eas multùm latus & hilares dimittentes. Indè ad S. Bartholomæi tendentes Monasterium, quod Ripolis dicitur, triduum ibi remorati sumus, pluribus indignis de Abbatis conversatione perceptis, ad quæ discutienda necessariò id temporis consumpsimus. Multis pro illo & contra illum testimonijs acceptis, indè discessimus, ad Monasterium S. Salvij profecturi. Plurima & acria contra Abbatem ipsum crimina acceperamus, & quæ digna castigatione viderentur. Accepti primùm benignè; cùm, exculpere nihil, modestè, potuissemus: indignitate commoti, quòd de nobis ità luderetur, alio itinere aggressi sumus; veritatemque extorsimus, altero in carcerem coniecto, altero sponte sua confitente. Tùm demùm in Abbatem inveci, acriter ipsius procacitatem arguere perreximus; ipso quoque tandèr confitente, & misericordiam postulante. Claustra Monasterii servare iussus, neque usquàm progredi; parere neglexit, suspicione nimia clam diffugiens; atque ad civitatem introgressus, non alitèr rediit, quàm accepto secum publicæ potestatis ministro, nè lædi posset. Redeuntem gravitèr monuimus, neque priùs ingredi Monasterium sivimus, quàm socium à se dimittere polliceretur. Ridicula priùs fabula obtigerat: iv. enim fermè hora noctis excitatus, cum Abbate mulierem cubare audio: excitatque sociis, tam sædo rumore commotus, cellulam illius, undè patebat exitus, custode munivi, nè diffugere posset; indè accenso cereo cellulæ ostium pulso. Surrexit attonitus experrectus Abbas, apertoque aditu; quidam inquireremus? tremens requisivit. Lustratis deindè omnibus, ipsoque paucis admonito; non inventa muliere, discessum est. Otrinuerat ea opinio; & dederat suspitioni locum, quòd visæ mulieres ea nocte ab aliis & à me ipso essent. Cubitum deindè rediimus. Dùm hæc aguntur, nuntius allatus est, qui nos præcepto Pontificis, & electione Civitatis legatione fungi in Germaniam oportere,



tere, signaret. Ea res, licet laboris plurimum ac difficultatis habere videretur; obsistere nequaquam ausi sumus: simul & comparatione molestioris rei, gratè à nobis admissa est. Venerat Florentiam & Abbas noster, quem Vicarium constitueramus, ut nos viferet, Hieronymumque fratrem Monasteriumque nostrum visitaret. Acceptus est gratissimè ab omnibus; auctusque gratia nostra remeavit. Abbas insuper institutus Anglarij, profectus ad nos, quæque acciderant, & quæ in rem nostram ipse egisset, aperuit; acceptisque mandatis, quid fieri vellemus, abscessit. Interea, quinam peregrinationis nostræ comites futuri essent, cum tractari cœpisset; decretum tandem est, ut Burgensis Abbas D. Vgolinus, Prior S. Margaritæ D. Dominicus, Benedictus cognatus noster, & tres famuli, nobiscum irent. Conventi à summo civitatis Magistratu, honorificè accepti sumus; & ut nos præpararemus ad exitum, iussi. Tùm verò fidem in nos amicissimi nostri Dini Canonici, benevolentiamque præcipuam experti sumus. Siquidem per seipsum, per nuntios, semet & sua omnia nobis offerre perrexit, equos, argentum, pecuniam, vestes, & cætera peregrinantibus in usum necessaria. Hoc ipsum & Pater meus Abbas Florentinus, noster in visitando socius, humanissimè & liberalitèr egit. Et COSMVS humanissimus antè omnes, ac LAVRENTIVS frater, atq; alii. Intentis nobis, atque ad iter expeditis; rumor allatus, Pontificem approbasse Concilium Basileense, quod eatenus noluerat, indicavit. Ea expectatione suspensa civitas; Venetias, qui exploraret, quid ipsi decerneret, misit. Itaq; nè diutiùs magno incòmodo nostro remorari cogeremur; adito Magistratu summo ut revilere nostra liceret, oravimus. & cù benevolentia impetravimus. Sollicitarat absentes literis antecessor noster, orans: ut sui misereretur, nè desererem; ut Monasterium S. Petri de Cerreto conferrem sibi, quod Monasterio nostro annexum, nequaquam ultrà juris nostri erat. Et, cùm à nobis rationabiliter hæc illius postulatio rejiceretur, institit tamen, ut pro illo intercederem, & se accersirem ad me. Id facere, nequaquam consensi, nè auctor illius instabilitatis justè reprehendi possem: ceterùm, hoc illius arbitrio permisi. Venit ad nos; multisque verbis cum Fratribus nostris, eum quibus negotium agebatur nequicquam consumptis; re tunc infecta, discessum est. Redierat itèr Vgolinus; qui sponte sua, ut nobis suffragia peteret, peregrinatus erat, consignatisque fidelitèr omnibus, mecum remorabatur. Accepta per eos dies in Abbatem Sancti F. ejusque Monachos, gravi querimonia; conveni singulatim omnes; & errata redarguens; ut gravitati religiose darent operam, monui. Puellam itèr in nostro Monasterio de Buldrone habitu sacre Religionis induimus, & Moniales ipsas admonuimus: *neminem intrmittere in Monasterio*; hoc ipsum & Hilariano Monacho, earum Custodi, in mandatis dantes. Is eo tempore petebatur Prior in Plebe S. Mariæ de Balneo à Gerardo Gambacurta, & ab oppidanis omnibus. Preces petentium repulsæ; quòd, vice sua, qui custodiret Monasterium, non facilè inveniebatur. Ipse quoque, præfici, plùs quàm voluissemus, expectabat. Fædus itèr rumor, & antiquum dedecus Monasterii *Δουλώσος*, denudè pullulavit. Perreeram exploraturus rei seriem; sed, licet suspicari omnia cogeret infamis earum conversatio; certi tamen nihil elicere quivimus. De Abbate itèr A., cùm turpis fama ferretur, literisque gravium virorum, admoniti fuisset; eum capi, nè quoquam fugeret, iussimus. Matris demùm precibus, illum absolutum, ad nos ire maturatò, præcepimus. Venientem corripuimus acriter: verùm, minùs gravia esse crimina, quàm ut privari mereretur, ubi comperimus; admonitum, quid fieri vellemus, dimisimus à nobis. Hieronymus itèr ille refuga noster postea quàm contrà nos tentarat omnia, Roma rediens, Florentiam venit. Ibiq; amicorum precibus, ut sibi parceretur, obtinuit. Adiit nos deniquè, veniamque supplex postulavit. Benignè acceptus est à nobis; Senasque ad nostrum Monasterium de Rosa ire iussus. Obtulit nobis literas commendatitias amicissimi viri nobisque optimè cogniti Episcopi Cerviensis; quibus ille eum ità commendabat, ut totum tamen, permitteret arbitrio nostro, nostræque illum (jussu quoque Pontificis) subjiceret ditioni. Alium itèr Hieronymum, Fratri nostro Abbati de Agnano vehementèr infestum; auctoritate nostra repressimus, loco suo stare iussum; adjectis terroribus gravibus, nisi acquiesceret. Legati per eos dies à Pontifice ad Concilium missi, Florentiam venerant, amicissimi nobis. Eos, ut erat officii nostri, visitare studuimus. Multa contulimus invicèr; neque tamen bonæ spei quicquam reportavimus; ità desperata videbantur Concilii negotia. Legatum equè, visitavimus, Bononiam à Pontifice directum. Vbi verò impetrata profectio fue-

fuerat, XIII Kal. Martias, sumpto prandio, moventes nostro Monasterio; ea die ad nostrum diverforium S. Margaritę pervenimus, die jam advesperascente. Magna inundatio effluerat, ut itinera etiam planiora, transitu difficilia fierent: aded ut, cum in quendam campum necessario divertissemus itinere obstructo aquis, mula, cui infederamus, molli sabulo infixam penitus, vix enatare posset, idque postea quam descendissemus. Postridie Monasterio ipso dubia tempestate discessimus; quippe nocte tota nix alta descenderat; Priore nostro, ne usquam proficisceremur, hortante. Vbi vero ningere desistit, iter aggredi satius putavimus; veriti, ne si clementiorem aerem prestolari pergeremus, remorari illic plus, quam vellemus, & plus quam satis esset, cogere mur. Nondum IO. passibus a Monasterio excefferamus; cum repente, ingens venti procella, exorta, nos aded vexare coepit, ut algere, plus quam unquam alias, inciperemus; praeter quam quod ipsa vi flatus molestissime affecti ferebamur. Nivem deinde is turbo excussit, aded frequentem; ut nihil ad eam molestiam aadi posse videretur. Et tamen, etsi saepius praeteriret, movisse Monasterio, colluctari cum ea tempestate delegimus, majoris mali metu. Aded enim inhorruerat aer, ut hiemi tunc dari initium videretur. Afflictis asperiore Caelo, incommodi illud adjectum est, quod nix perpetua caligini adjuncta, ita vias & itinera obsederat publica, ut nisi peritissimos eorum duces habuissemus, devia sequuti essemus. In tantam vero altitudinem excreverat nix, ut iumenta, quibus infederamus, per eos maxime montes, qui ad Prunum appellantur, enatare non possent: aded ut sex fere passuum millibus emensis, desperatione victi, ad Monasterium, unde moveramus, redire cogitaverimus. Verum eam ipsam cogitationem & ipsi damnavimus. Itaque pertinaciori studio, quam coeperamus, obstinatiusque contra tempestatem ferebamur. Maximo tandem labore, & fatigatione pervenimus ad Pratum-vetus, advesperascente jam die. Ibi in nostro Monasterio ex itineris angore recreati; didicimus, Abbatem Burgensem advenisse, quem elegeramus peregrinationis nostrae comitem. Egimus ibi sequentem diem; quo spatio multa contulimus, amplexi hominem, vitae merito gratissimum nobis. Consobrinam, & neptem D. B. dudum Abbatis Anglarii, consolari pro tempore studuimus. Supervenit illuc novus Abbas Anglarii, negotia nostra quaedam tractaturus nobiscum, profectusque continuò Florentiam est. Inde feria IV. Cineribus acceptis, inde digressi sumus; datis nobis ab amicissimo nostro Felice viris quibusdam, qui itinera montium aperirent, nivibus altissimis obsessa. Magno cum labore nostro breve illud itineris intervallum, Mojonam usque, peregrimus. Quo advenientes, Abbatem nostrum Vallis-castris cum aliquibus ex familia, ibi reperimus. Advenerat enim, ut decedenti Hieronymo Sacerdoti Vntionis sacrae, & Communionis sacramenta inferret. Consalutatis omnibus; magna licet difficultate, & longiori ambitu, venimus ad nostrum Monasterium Fontis boni. Et quoniam Clausi reformandi, quod diu pessime fuerat gubernatum, cura nos acris urgebat; neque satis, quis ad eam rem esset idoneus iudicio nostro occurrebat: aliquantò diutius eam cogitationem traximus. Placuit tandem ad eam rem accersire Mariotum illum, cujus supra facta est mentio; utpotè quem votis nostris concordem deprehendissemus, apertis indiciis; etsi nonnihil difficultatis obstare videbatur. Sublata tamen difficultate omni, quod cupiebamus effectum est; venitque Camaldulum, pariturus monitis nostris. Inde fugatis, qui pessime nutriti fuerant, quique corrumpere posse massam omnem fermento suae iniquitatis, videbantur; pueros sanctè educari novos constituimus, eique operi initium dedimus, permitta omni facultate, liberaque in pueros auctoritate Marioto ipsi, ea intentione, ut majore quoque postea diligentia prospiceremus Clausi ipsius perpetuę tranquillitati; quod facere, Christo propitio, intendimus. Venit per eos dies ad nos Leonardus, missus ab Abbate de Carceribus, multa conquestus, quod Abbati ipsi a quodam levis capitis derogaretur in Monasterio nostro; id quod nobis quoque multum displicuit. Expostulavit quoque nonnulla secretius, Abbatis ipsius nomine; quod quasi auctoritatem, illi a nobis attributam, non servassemus. Rationabiliter ejus objectis obviatum a nobis est; literis quoque ad Abbatem ipsum datis: ostendimusque evidentissimis indiciis, quanti fecissemus semper honorem illius. Leonardo ipsi, multis & importunis precibus fatigati, contulimus Hospitale Patavinum; immò collatum sibi a suo Abbate, confirmavimus. His diebus Abbas noster Vallis-castris, renuntiato obitu Prioris Cellę, eò contendit secundo, minimaque ad nos

de-

24  
desiderii retulit spolia. Ibi Dominicum præfecimus Conversum; quia erat accolis charus, seque placebat Fratribus nostris Heremitis; licet Fratres nostri Monasterii, ubi tunc morabatur, id egrè tulerint: sed non erat in Monasterio, nisi ut hospes, admissus. Eisdem itè diebus Monasterio nostro S. Mariæ de Pratalia, diù jam Sacerdotis destituto solatio, Antonium Arretinum, ex Monasterio Burgense advocatum, præfecimus, socio illi adolescentiore fratre dato. Adiit nos illuc quoque Abbas noster de Agnano, visitandi gratia; quòd comperisset, nos inde profecturos continud: multisque verbis ultro citroque habitis, optare videbatur, se nostri itineris socium adhiberi. Satisfecimus illi, quantum fieri potuit; rationabilibus causis, cur non ita fieri oporteret, allegatis; placideque lenivimus; dimissumque à nobis, è vestigio sumus subsequuti. Nam, præter quàm quòd ipse ita oraverat, placuit nobis, levandi animi gratia, proficisci. Venimus itaque Arretium, & compositis utcunque rebus, Monialem vnam, plenam rixarum, è Monasterio nostro Sancti B. amovimus; & quoniam inquietabat Monasterium, cum anu amita & ipsam, jam provecctè ætatis, esse permisisimus. Contendimus & ad Castellionem Arretinum, visendi possessiones nostras, simul & locandi gratia. Susceperunt nos honorificè conductores nostri, conjuncti nobis antea quoque in amicitia. Circumivimus totam fermè subjectam oculis spaciosam fertilemq; planitiem; quia non vno in loco prædia nostra sita sunt, peractoque locationis munere, Arretium remeavimus. Adiit nos Abbas Monasterii S. Flore; contraque Hieronymum nostrum exposulavit plurima. Conventum secretius adolescentulum, ad humilitatis institutum revocare curavimus. Hieronymus itè alius, dudum refuga noster, allegata infirmitate sua, supplex petiit, ut se ad Balneum, natale solum, ire permitteremus, levandi gratia, ut suis mederi noxibus posset. Quod illi cum benevolentia indulsumus. Profectus est ad nos & Hilarianus Abbas Deciani. Eum antea Vulterras miseramus ad S. Marcum, ut cum Marioto commutaret Monasterium, quia ea res benè & opportunè quadrare utrique videbatur. Non placuit illi tam longè morari in loco ferè deserto; se tamen totum permisit auctoritati nostræ. Ei Monasterium de Campriano ita postulanti, de Heremitarum voluntate tradidimus; Marioto Monasterium Deciani conferentes. Fuerat inter Gerardum Gambacurtam & nos oborta contentio pro Priore in Plebe Balnei constituendo. Quem enim ipsi elegeramus, nolebat admittere; & eum postulabat, quem dare illi sine detrimento & incommodo nostro nequaquam possemus. Pependit ea res aliquandiu; donèc nuntiatum est nobis, ut, ipso volente, quem elegeramus, mitteremus. Missum, ille cum dedecore abiecit; neque permisit Monasterium ingredi. Indignè id factum tulimus, scripsimusque ad illum, commotionem significantes nostram. Postmodum tamen, unum, quem postulabat, indulsumus; Abbatem, scilicet, Silve-munde, præficientes ipsi Monasterio, quem Plebis Priorem primò elegeramus. Adolescentem lascivum Monachum ab eo missum ad nos, inobedientiæ atque contumaciæ reum, arguimus acriter, amovimusque à conspectu nostro; diris in eum animadversuri, nisi ratio continuisset impetum, nè putaret, qui illum miserat, nos animosè, & ob injuriam sui, processisse. Contra tamen, ac se habebat veritas, retulit. Misimus, qui veritatem rei expediret: nè sic quidem homo ille placatus est. Egimus in nostra Heremo sacram hebdomadam; ita ut Dominica in ramis Palmarum omne ipsi Officium perageremus, pedesque Fratrum V. feria, post Missas celebratas, lavaremus, & VI. feria, & Sabbato sancto, & Dominica Resurrectionis Officia omnia absolveremus, magna cum lætitia Fratrum nostrorum Heremitarum; quòd rem, ætate sua nequaquam consuetam, se vidisse mirè gratulabantur, ut, scilicet, Generalis Prior per se ista exequeretur. Consolari studuimus Fratres nostros quantum potuimus: eisque, *ad prosequendam mutuam pacem & tranquillitatem, religionisque gravitatem*, animare. Abbatem nostrum ad patriam misimus, ipso sic instante, ob Monasterii sui disponenda negotia; ducto secum Fazino consanguineo suo, scriba nostro, quem iustis ex causis à nostro latere amoveramus. Visitavimus per id temporis Comitern nostrum secundò, necessariò, rei maximè frumentariæ causa. Vbi verò plùs quàm duos menses expectatum est, neque Legationis nostræ negotio finis dabatur: nè tempus diù nequicquam tereremus; instituvimus Visitaciones aggredi Religionis nostræ. Verùm antea Florentiam misimus Abbatem nostrum cum literis ad Magistratum summum civitatis, quibus significaremus: *Nos Venecias petere, visitandi Ordinis gratia; paratos semper & ubique*

25

quæ, Civitatis obsequi iussis, quando illorum decretis, aut literis conveniremur? Indul-  
tum à Præfulibus est; ut bona cum pace nostra, & illorum gratia proficisceremur. Itaque  
compositis, quantum fieri tùm potuit per inutile ministerium nostrum, rebus, Monasterio  
nostro movimus, xv. Kl. Majas; ipsaque die venimus ad Pratum-*vetus*. Ibi ancillas Christi  
visitantes, ad *benè vivendum sumus hortati; simul, ut pro nobis orarent, instantius po-  
stulantes*. Vidimus & Inclusam illam; & ad perseverantiam boni operis animare curavi-  
mus. Indè moventes, venimus ad nostrum Monasterium S. Petri de Luco; ibique itidè  
famulas Christi adhortati, nosque precibus illarum commendantes, Kalendis Maji iter arri-  
puimus, ut Bononiam proficisceremur. Euntibus literæ à nostro Abbate de Carceribus red-  
ditæ sunt, tabellario nobis inter alpes obviam facto. Orabat mirificè Abbas ipse, ut pro-  
ficisceremur simul; & Prioris S. Matthiæ contrà se intemperantiam querebatur: de quo,  
quà locus aptus occurrit, paucis exponendum est. Is infamia sævè notatus in Capitulo  
Generali, iussus est annum integrum in Heremo vitam heremiticam ducere; vixq; à Præsede  
Capituli summis precibus Abbas ipse (qui inter Diffinitores erat) obtinuit, ut in suo Mo-  
nasterio pœnitentiam agere permitteretur. Ingratus ille accepti beneficii, culpam in Ab-  
batem ipsum refundere incēpit, quòd is illi auctor infamiæ fuisset. Itaque, cùm post as-  
sumptionem nostram, Florentiæ illum comperissemus non exequi injunctam pœnitentiam;  
ex officio nostro Abbatem ipsum admonuimus literis, ut rem diligentè inquireret: ac si  
quidè prævaricari legem sibi injunctam comperisset, vice nostra animadverteret in reum.  
Dedimus ad ipsum quoque literas, quæ nobis comperta fuissent, significantes; hortantesque,  
minis adjectis, ad satisfactionem. Inquietus ille, atque inobediens, plures nobilium lite-  
ras misit ad nos. Contrà Abbatem ipsum misit: quòd ex privilegio Monasterij, sese ille vi-  
sitare non posset, inferioris scilicèt vitæ. Commoti ea indignitate, rescripsimus, ipsius  
improbis infestantes. Postèa verò quàm exactus erat annus pœnitentiæ injunctæ (quam  
tamen integrè exequutus non fuerat), adolescente illo secum & in subiecto Monasterio  
servato, mōx in agrum Flaminium concessit; & Faventiam primò, deindè Bononiam ve-  
nit, ibique contrà Priorem Monasterij S. Mariæ de Angelis litem in audientia Gubernato-  
ris movit. Ab ejus iudicio ad nostrum Prior ipse causam provocavit; & ipse venit ad  
nos, conquestus plurimùm, se sub alieno iudice à Priore vexari. Commovit nos indignum  
facinus, literasque ad Gubernatorem, & ad Priorem ipsum dedimus: illum orantes, ut,  
causam nostri arbitrij, nostro sineret iudicio terminari; huic districtiùs inhibentes sub ana-  
thematis maledictò, nè progredi ultrà præsumeret, sed ad nostram se præsentiam continuè  
transferret, quòd eam rem componere, auditis partibus, decerneremus. Noluit ille per se  
accedere ad nos, sed nè præceptis quidè nostris obedire; immò excommunicationis sen-  
tentiam incurrere veritus non est, contrà inhibitionem nostram, prosequendo negotium.  
Misit autem nuntium cum literis, excusans, cur non venisset, & hæc atque illa in rem  
suam allegans. Antè verò quàm proficisceretur ipse Bononiam, miserat ad nos Dionysium  
ex Venetijs, nobis optimè cognitum, plura petiturum, quæ omnia cum bona gratia impe-  
trarat à nobis; nisi quòd, adolescentem illum Monachum in suo Monasterio esse, nequa-  
quàm permisimus, ut ille, ex ipsius ac parentum voto, precabatur; sed datis illi ad eum  
literis, ut ad Monasterium S. Mariæ de Vrano se conferret, sub excommunicationis pœna  
præcepimus. Eas ille acceptas literas, Florentiæ penès Hieronymum Fratrem dimiserat,  
Bononiam paucis post diebus dirigendas. At sine literis profectus, illum secum ire per-  
misit. Nos, perfidiosum factum, ut comperimus, ægerrimè ferentes: Dionysium, teme-  
ritatis & superbiæ reum, infestati acriùs, pœnitentiæ subegimus; adolescente contumaci  
indè abire jussò. Magnum verò scandalum pijs mentibus Prior ipse Bononiæ suscitavit;  
quippè qui tota Quadragesima Forum & judicia sæcularia frequentare, solusque cum  
parvulo, nocturnis quoque horis, circuire civitatem ferebatur, non ad religionis loca  
declinans, sed in adolescentis illius domibus mansitans; &, què tempore sæculares quo-  
que homines, ob sanctorum dierum reverentiam, abstinere à judicijs consueverunt; eo  
imprimis cursitare, atque ad lites jejulare studebat. Dura tandèa conditione conventus,  
Venetias redijt, missis ad nos literis insipientiæ plenis; & cùm illi juxtà suam stultitiam  
respondissemus, jam Bononiam profectò, literæ illi redditæ nequaquàm fuerunt. Quid

D

plu.

plura? Contentionem inter se & Abbatem de Carceribus ortam (cui tanquam gerenti vi-  
ces nostras ille obedire volebat), nostræ præsentis terminandam reservare coacti sumus.  
Qua ex re advētū nostrū Abbas ipse precariō poscebat. Venimus prima māsione ad castellā  
munitissimam, quod Caurennum dicitur; & sequenti die, Bononiam: ubi extrā urbis mœ-  
nia in Monasterio nostro S. Mariæ de Camaldulino ea nocte remorati, postridiè Bononiam,  
clām ferè, fumus ingressi, consultō devitantes occursum amicorum, qui nobis obviam ire  
instituerant; divertimusque ad Monasterium nostrum S. Damiani. Adierunt nos illic fre-  
quentes amicorum conventus, & nobilium, & studiosorum. Sed eminebat affectus nobi-  
lissimorum equitum Romanorum Stephani Porcij Prætoris urbani, & Mariani mei illustris  
adolescensuli germani sui; qui omnium in nos officia superare studebant, & visitationibus  
erebris, & significationibus gratissimis amoris penitus insiti. Plerique ex his munusculis  
quoque prosequuti, convivio insupèr nos excipere voluerunt. VI. verò mensis Monaste-  
rium nostrum S. Christinæ Visitationis inchoandæ gratia adivimus; ubi suscepti cum pro-  
cessione solita, juramentum obedientiæ à Matre Monasterij & Monialibus cæteris exegi-  
mus, præmissaque exhortatione salutari, ea ipsa die examen incepimus. Exacta discussione  
solenni, gratias egimus Deo, quòd offendissemus institutionem satis opinione meliorem.  
Itaque illas multum exhortati ad benè vivendum; quædam vtilitèr ac necessariò institui-  
mus, eisque scripta & servanda reliquimus. Vnam ex his Novitiam, in festivitate S. Chri-  
stinæ, legitimæ ætatis ac bonæ indolis sacravimus, magno cum gaudio, nemine omnino  
sæcularium intus admisso; quod, & si grave aliquantum visum est, id tamen postea ma-  
gno earum omnium consensu & affectu approbatum fuit: ita ut, nunquam antea neque  
honestiorem neque pulchriorem solennitatem se vidisse, omnes faterentur. Indulsumus ta-  
men, ut tibicines in Vesperis admitterentur (nè consuetudinem omnino videremur aver-  
sari) in celebritate præcipua Monasterij duplici, & Tituli scilicet, & Consecrationis.  
Vnum illis grave visum est: quòd; eas parentum domos adire, prohibuimus. Consueve-  
rant enim, vel conventæ ab illis, vel sponte sua, interdum (immo & sæpè) illuc ire.  
Eam legem, earum oratu, ita temperavimus, ut extremæ infirmitatis casu, liceret, per-  
mittente Matre Monasterij, proficisci. τὸ κοινότητος αγαθὸν οἶον ἔκ τῆς ἡμῶν neque mal-  
tū institimus tūc, sperantes alio commodius tempore id fieri posse. Composito utoun-  
què Monasterio, ad S. Damiani Priorem visitandum, profecti sumus. Scripseramus, mōx  
ut Bononiam ingressi sumus, venerabilibus Fratribus nostris Abbatibus S. Michaelis de  
Muriano, & S. Mariæ de Carceribus, significantes adventum nostrum, quia sic nobis con-  
venerat, quòd alter ex his exire nobis obviam constituisset; sed præreptæ literæ alterius  
fuere, ut ex eventu constitit nobis. Exacta discussione solenni; renuntiare se velle in ma-  
nibus nostris Prior ipse testatus est, quòd non legitime, neque per otium sibi ingressus  
videretur. Admissa illius resignatione, denudè Monasterium illi contulimus, quia reverè  
prudens, atque ad regimen aptus, judicatus est. Fuerat adversus illum gravis orta queri-  
monia, prius quàm iter istiusmodi arriperemus; Vicario Episcopi Bononiensis multa obji-  
ciente illi per literas, quòd hæreditatem Bononiensis civis, cuius ipsa exequutor supererat,  
in usus suos convertisset. Eo nuntio concitati, Priorem ipsam ad nos convocare decrevi-  
mus, literis illius hominis lenitèr respondentis. Advenientem protinùs, & jura sua osten-  
dentem, ubi nequicquàm falsa calumnia vexari deprehenderamus, absolvimus, rationi  
consona scribentes Vicario memorato. Quibusdam ergò tūc, pro tempore, constitutis in  
suo Monasterio; Camaldulini quoque Priorem eadem ratione visitavimus. Abstinuimus ex  
industria à visitatione Monasterij S. Mariæ de Angelis, eam ad nostrum reditum reservan-  
tes. Peractis omnibus, Bononia proficisci, cum nullus ex Venerijs occurreret, constitui-  
mus. Sed antè quàm inde moveremur, amici cujusdam nobis optimè cogniti, sumus, re-  
latione, multum afflèti, asserentis: nihil nos veritatis exculpere quivisse de nostro Mona-  
sterio S. Christinæ; omnes enim fermè πόρνας εἶναι. Ea res, quantum mæroris attulerit,  
sari satis haud quaquam possumus, de illis ea dici audientes, quibus contraria nos inve-  
nisse gaudebamus; neque fidem ejus accomodavimus dictis, non piùs illi, quàm experi-  
mento nostro credere volentes. Erant plurima, quæ adversarentur ejus dictis; & imprimis  
diti.

diligentia, & peritia summa Divini cultus, Officiorumque sacrarum; & alia, quæ præsentibus notavimus, ab his, quæ ferebantur, prorsus dissonantia. Studiosius item veteris amicitie jure, & officio pietatis visitaveramus Gasparem nostrum, nuperrimè Religionem ingressum, atque ex Philosopho sæculi Christi militem factum. Eum, quantum inspirare dignatus est Dominus, in sancto instituto confirmare curavimus, magna tùm ab ipso, tùm à Fratribus cæteris caritate suscepti. Itaque XVIII. Kl. Junii mane Bononia movimus, præsentibus, neque prius, quàm ascendissemus mulam, abscendere volente Stephano Porcio, & plerisque nobilibus, qui secum ad nos salutandos advenerant. Non potuit persuaderi Mariano meo dulci atque illustri adolescentulo, nè pergere nobiscum vellet; sed aliquot millibus passuum, ingenti affectu, honoris causa deduxit abeuntes. Vix tandè, emensis quinque milliarijs, eum à complexu nostro dimisimus, ipsaque die Ferrariam venimus. Statueramus visere Principem civitatis ex officio nostro, atque salutare, & unà Guarinum, antiquum amicum nostrum cum plerisque studiosis. Sed, vbi comperimus, Principem concessisse Venetias: rati Nobilitatem omnem secum profectam; id officij genus differre institimus ad reditum nostrum. Obvios ex itinere habueramus Dionysium, & Monachum alium S. Matthiæ, à Priore ad hoc ipsum missos, ut nos Venetias cum honore, suo sumtu, ducerent. Animadvertimus statim, literas, à nobis ad Abbatem de Carceribus missas, à Priore ipso fuisse interceptas. Multa illi de dispositione Prioris optima referentes, lenire commotionem animi nostri conati sunt. Blandè ac lenitè, quæ asserbantur accepimus, itaque postridiè Ferraria profecti, ad portum venimus, cui *Francolino* vocabulum est. V. lapide distantem. Ibi conducta navicula, iter arripuimus, Venetias biduò profecturi. Fregit nos navigatio insolita, & adversa vis venti fecit, ut triduum jactaremur. Venimus I. mansione Lauretum, II. Prænestinam, III. demùm Venetias. Consultoque divertimus primò ad nostrum Monasterium S. Io: Baptista de *Indaca*; multùm renitentibus ducibus nostris, & ut ad Monasterium S. Matthiæ proficisceremur, instantibus. Obstitimus rationabilitè, quòd illic Abbatem S. Michaelis, antiquum & venerabilem Patrem, prætolari vellemus. Exierat obviam nobis Prior ipse recto itinere; sed, quòd faciliùs ac meliùs navigaremus, à recto tramite in altum mare detorseramus. Amisissis itaque vestigijs nostris, subsequutus est nos, invenitque adhuc in ipso Monasterio quiescentes. Acceptis honorificè, Monasterij ipsius Prior graves querimonias exposuit contra S. Matthiæ Priorem. Mox, primo congressu, jurgari orsus; quid nobis de reliquo sperandum foret, admonuit. Expostulare protinùs de Bononienſe negotio cepit. Repulimus illius insipientiam responſo plene rationis, commotius fortè, quàm par erat inter ipsa salutationis auspicia. Inter eos sermones venisse nuntiatur Abbas noster S. Michaelis. Profecti obviam, complexi sumus senera optimum; satis dolentes, eum virum illa ætate tot simul vexari morbis; osculatique, diù de illius collo pependimus: cùm ille nos quoque vicissim præcipuo foveret affectu. Inter hæc, ubi aliquandiu confedimus, inter Abbatem ipsum atque Priorem oborta contentio est; *utrum nos Monasterij adire prius oporteret*. Allegantem antiquitatem sui Monasterij Priorem Abbas constantissimè repulit; antiquius esse suum ac dignius, verissimis rationibus docens. Inclina vimus in ejus sententiam facilè; Abbatisque nostris naviculam cum illo unà ingressi, cæteris subsequenſibus, ad S. Michaelis Monasterium venimus. Vbi, accepti ex more cum processione, atque in Ecclesiam inducti; servatis omnibus legitimis, ebedientiæ solenne juramentum præstitum à cunctis est. Iam verò quo affectu, quo honore ab omni illa sancta Congregatione fuerimus accepti, quis referre sufficiat? Exsatiari aspectu nostro, affectuque suo satisfacere non posse videbatur; ita certabant officijs. xxx. semè dies illic mansimus; cùm, uberiore semper charitate tam à Patre Monasterij, quàm à Congregatione omni sumus accepti, singulari apparatu. Magna nos illic nobilium amicissimorumque nostrorum turba visitavit; magnoque ab his omnibus studio venerationis suscepti sumus. Eminèbat affectus Francisci Barbari; Leonardi Iustiniani, Marci, ac Laurentii fratrum suorum, gravitate summa hominum, Bernardi quoque filii, adolescentis & illustriſis & eruditi; Marci Lippomani; & cæterorum qui summa observatione latus nostrum semper ferè ambiebant. Fantinus quoque antiquus amicus noster, Prothonotarius, composito adventu nostro, nos festinus adiit, officiosissimèque accepit; Frater itè nobis modò

optimè cognitus, qui ex Hebræis crediderat, atque Medicus, ingenti studio quæsit col-  
loquium nostrum; nobisque postea familiarior factus, nos frequens adiit. Suadentibus ami-  
cis; ut antequàm visitare inciperemus, Ducem, ejusque Consilium visitare officio nostro per-  
geremus; ix. postquàm eò adveneramus, die id executi sumus; magna nos & nobilium,  
& Religiosorum turba prosequente. Suscepit nos humanissimè, & reverentè Princeps in-  
clytus, ac juxta se collocans; cum illi, adhortatione Barbari mei, causam adventus nostri,  
Latinè explicassem; tam gratè, sic promptè, adeò dulciter sapienterque respondit; ut ma-  
ximam moverit admirationem, egregièque consolatum à se dimiserit, hortatus: *cepto, &  
instituto operi ardentèr insistere, opemque suam ubique pollicitus*. Continuo Monasterium  
ipsum nostrum, ubi hospitabamur, visitare aggressi, paucis diebus absolvimus; maximè  
delectati Religione summa, & sanctitate vitæ, quam ibi comperimus, mira Patris pericia,  
& solertia singulari. Indicem quoque confeci nus rerum omnium, admirati nimirum, ex  
quibus ruinis inquantam amplitudinem Pater ipsum Monasterium auxerat: cum præter Fra-  
trum optimorum numerum, præter extructionem parietum (nam ipsum fermè à fundamen-  
tis erexerat) tanta & tam varia supellex ubique enitebat, ut stupori nobis esset. Quædam  
tamen illic constituere ad incrementa decoris volentes, Pater gratè admodum admisit. Ma-  
gna suspicio comites itineris nostri pertraheret, omnesque suadebat, ut in ipso Monasterio  
Priorem ac Monachos S. Matthiæ visitare pergeremus; neque nostri solum comites, ve-  
rum & plerique nobilium, & imprimis Fantini nostri id autoritas admonebat. Dura res  
visa est, neque admittenda facilè, quod apertum animum prodere, & patere non injustè  
querimonæ videretur. Consilium tandem fuit Abbatis nostri, & aliorum fidelium ami-  
corum (sociis suspicione vel inani laborantibus) consulendum; quod inferret hujusce su-  
spicio, plena sollicitudinis, jugem cruciatum. Quæstia igitur occasione verisimili, quod  
locus ille adventantibus civibus, utpotè propinquior, atque aptior esset, quodque Abbas  
noster nonnihil operis injunxisset nobis ratione caritatis, cui commodè nusquam alibi pos-  
semus insistere; nostram in Monasterio S. Matthiæ moram excusavimus. Accesseramus illuc  
primùm causa possessionis ex more capiendæ; susceptique cum processione, solenne exegi-  
mus ab omnibus obedientiæ juramentum, ipsiusque Monasterij fabricam pulcherrimam, &  
Religioni aptissimam inspexeramus; jamque tùm subierat miseratio, quod tale tantumque  
Coenobium hujusmodi capite niteretur; cogitatioque inceperat ipsius relevandi. Egredè tùm  
à Priore, tùm à Dionysio admissa occasio; apertè querentibus, se negligi, & nos opinione  
iniqua laborare. Resistere tamen, nihil ausi, illuc singulatim discutiendi, accesserunt. Me-  
roris materiam copiosam invenimus; neque minus hic doloris, quàm lætitiæ, & ædifica-  
tionis in S. Michaelis Monasterio offendimus. Magna contra Priorem, & concors multo-  
rum (& quidè seniorum) querimonia, foedaque exultatio ad nos perlata, nos sollicitu-  
dine cumulavit. Orabant omnes, quibus inerat sententia sanior, eum amoveri, utpotè  
ineptum, temerarium, lascivum, ac lubricum, & per cujus negligentiam perirent omnia.  
Ea, ut ipsi vera putarem, fecerat & infamis de illo rumor Generali Capitulo invehus,  
& præcedens ipsius nobiscum, & contra nostram auctoritatem contumacia. Sensit hoc ille;  
plenusque suspitionis ac metus, adiit nos, afferens: siquid contra illum agere instituere-  
mus, solennia se præsidia petiturum, amicorum scilicet, atque nobilium. Ejus nos intem-  
perantem animum ita repressimus, ut, post debitam verborum castigacionem, inferremus;  
siquid ab illo hujusmodi præsidij fuisset occupatum, acturos contra illum palàm ac libe-  
rè protestaremur; nullamque honoris ipsius rationem habituros, ut domus Dei saluti  
prospiceretur: Quodsi temperaret infano motu, & resipisceret; ultrà quàm mereretur,  
opinionis suæ consuluros. Quievit ille tunc; neque tamen quicquam, nisi ex ingenio, &  
more suo, postea effecit. Namquè, & nonnullos ex nobilibus excitavit, qui nobis illum  
commendarent; neque minùs contumaciæ postmodum, quàm priùs prætulit. Per eos  
dies visitavimus celebriora urbis loca; simulque à Religiosis omnibus Fratribus gratissimè  
accepti. Magna nobis cum Laurentio Justiniano, religiosissimo viro facta consuetudo est;  
cum quo æstus omnes cordis nostri communicantes, multum indè consilij sani reportavi-  
mus. Vicissim ipse plurimùm delectatus est nobis; & cum, ob vitæ meritum, Venetijs  
Episcopus à Pontifice fuisset datus, abnuit, nostròque & Patris nostri Abbatis consilio, nè  
diu.

diutius reluctaretur, in iustus, non tamen tunc votis & adhortationibus nostris acquievit. Ejus Monasteria, & alia pleraque celebriora, ut dictum est, vidimus, & præcipue Fratrum nostrorum montis Oliveti, ubi etiam die Monasterij præcipua, ab eis rogati, Missarum solennia celebravimus; comitantibus nobiscum semper aliquibus ex nostro Monasterio S. Michaelis Monachis senioribus. Adivimus & Fantini nostri domum; ab eoque accepti humanissime, diem ibi totum exegimus: quocum & Io. Cornelio, vicino suo, plurima urbis loca visitavimus, & Sanctorum corpora vidimus honorifice condita; ipsiusque Ioannis domum splendide instructam, & Bibliothecam non ignobilem sumus admirati. Tarvisium his diebus contendimus, ut & Monasterium S. Christinæ visitarem ex instituto nostro, & quædam vestigarem diligentius, quæ ad nos, tum de Abbate nostro de Carceribus, tum de Priore ipso, & de alijs quibusdam, nonnulli detulerant. Illo die, Sancti Parisij (cujus corpus ibi conditum venerati sumus, vitamque conscriptam, simpliciter licet, nobiscum asportavimus) cum pervenissemus, in vicino Monasterio mansimus. Antiquum nanque Monasterium, quod fuit celeberrimum extra muros civitatis, bellorum motus ad solum usque diruerant; & nunc in domo minus idonea intra civitatem remorantur. Illic adiverunt nos plurimi nobiles, & literati, Barbari mei literis moniti, nosque officiosissime acceperunt. Ibi, exacta discussione diligenti; Abbatem nostrum falsa calumnia vexatum fuisse, deprehendimus; quippe L. aureos pro confirmatione Abbatissæ ferebatur accepisse, verumque id non esse, certò collegimus. De Priore, vera esse, quæ dicebantur; secretius scilicet allocutum quandam Monialem per plures horas, idque in cubiculo, comperimus, quæ postea inde discesserit, Venetiasque primùm, ac tum demùm Patavium se contulerit. De alijs item exploravimus, quæ de Abbatissa ipsa perceperamus; ejusque confessione simplici, *τέκνον ποιῆσαι* eam, comperimus. Remanserat Venetijs in nostro Monasterio Dominicus scriba noister infirmus; obque id ipsimet scripsimus omnia, nequaquam passi, alium secreto Visitationis admittere. Plurima ibi, quæ correctione digna essent, invenimus; adhortatique Abbatissam, & socias ad henè vivendum, omnia, quantum Dominus donare dignatus est, pro tempore componere curavimus. Dùm illic essemus, rumor fuit, milites domum Monasterio contiguam conduxisse. Id cum, Matre conquerente, accepissemus; non antè destitimus cum amicissimo viro Cancellario, quàm inde amoti illi sunt, quorum erat propinquitas infamis ac periculi plena. Visitare curavimus Presbyterum senem, nobis optime carum, Beltramum, cui extra urbem sedes erat; à quo item accepti perhumanè, & reliqua celebria Religionis loca vidimus. Confirmatis itaque mulieribus illis, præceptisque sibi in scriptis traditis ac perceptis, *de Clausura, de Sacularibus intus non admittendis, & alijs pluribus*, inde discessimus rrr. postquam adveneramus, die, confecto rerum omnium indice. De eo Monasterio scripserat ad nos, inter ipsa nostri officii primordia, Dionysius noster; oraveratque, ut possessiones ejus, mulieribus inde fugatis, Monasterio S. Matthiæ adderemus. Nos, tunc ignari rerum, sententiam ad nostrum illuc adventum, consultò distuleramus. Et cum illuc proficisci institueremus; multam institerat, ut nobiscum iret; quod nos, justis ex causis, omninò renuimus. Revertentes medio fermè itinere nuntius excepit, qui sollicitudinem ignavis incuteret: venisse enim, qui literas ad nos Florentia perferret. Plerique ex nobis, profectioem ad Concilium, eis literis indici putaverunt. At, ubi Monasterium S. Michaelis attigimus, literas ab antecessore nostro missas offendimus, quibus significaret: Monasterium S. Zenonis vacare, Abbate ipsius vitæ fundò; orabarque sibi Monasterium ipsum conferri. Nos, ancipiti aliquandiu sententia fluctuantes, sententia senis nostri confirmavit; utque Monasterium illud conferremus, obtinuit, postea quàm illi motus omnes nostros exposuimus. Itaque collationem ipsam ad eum, ut postularat, manu propria misimus; admonentes secretius: ut ab accessu illicito se contineret, nè inde antiquum refricaret errorem; id enim nos nulla ratione passuros. Scripsimus & Hieronymo fratri, ut illum item admoneret. Accessimus ad Monasterium S. Matthiæ postridiè quàm Tarvisio redieramus, Priore nos evocante ob Monasterii negotia quædam; eaque ipsa die reversi ad consueta cubilia, tractare cum Abbate nostro cepimus, quid facto opus esset. Consilium illius tandem fuit: ut illuc nihil contra Prioris personam ageremus, ob evitandos motus omnes, qui tunc orituri verisimili ratione credebantur, si quid ageremus;

disc-



38  
discerendumque nobis alio & loco & tempore: sibi enim placere, ut inde amoveretur, sed suo & tempore & loco. Adolescentem ipsius propinquum, multa in ejus laudes prosequentem, fregimus responsione congrua & gravi. Adijt nos inter ceteros & Cyriacus Anconitanus; multaque nobis ostendit antiquitatis, cujus studiosissimus indagator erat, monumenta, tum epigrammata vetusta, tum signatos nummos argenteos & aureos, tum signa. Petrus item Medicus & Græca quædam peregrina volumina, & nummos item ejusdem generis, & alii plerique nobiles iidem. Franciscus autem meus duo Græca volumina dono dedit, Prophetas scilicet omnes XVI. & Opuscula rariora Nazianzeni, utrumque pulcherrimum. Magna Prioris de *Judaca* contra Priorem S. Matthiæ querimonia; magna illius in hunc expositio; magna item Abbatis nostri fuit. Et quoniam res discussione diligenti opus habere videbatur; visitavimus Monasterium ipsum S. Io: de *Judaca*, visitatione S. Matthiæ necdum finita. Plurima in Priorem crimina intorta, inextricabilem ingerebant labyrinthum. Compositis ibi rebus, præceptisque in scriptis datis, inde divertimus. Decrevimus, ut obstruerentur ora obloquentium, ad Monasterium S. Matthiæ proficisci; ubi remoti biduum, iudicem confecimus rerum omnium. Ibi Clemens acri dolore lateris tentatus est. Simultatem, immo stultam contentionem inter Abbatem de Carceribus & Priorem S. M. Abbate ipso illuc adveniente, sopire conati sumus; sed, ut minus, quam vellemus, integrè id efficere quiverimus, utriusque intemperantia fecit; in hoc Abbate nostro nos etiam javante. Egrè admissa concordia; multa in alterutrum dicentibus. Vbi, etsi culpabilior ipse Prior judicatus est; neque tamen vel Abbas ipse noster culpa vacavit, minusque, quam voluissimus, temperavit sibi. Quia in re & senis quoque nostri sententia, in eum invexit, licet alia quoque illi adversus Abbatem inesset causa, quam nobis exposuit, fecitque potius ipsius ætas atque auctoritas, quam causa ipsa, ut eam admitteremus. Plus enim deferri sibi voluisset ab educato à se; nosque hoc ipsum comprobavimus. His diebus & Vincentinus Prior contra Clugiensem Priorem proposuit multa, auditusque, ex parte, quod cupiebat, obtinuit; abrogatis per eum ipsum antecessorem suum, nobis auctoribus, venditionibus quibusdam in detrimentum Monasterii factis. Pauld autè discessum nostram, exorto in ipso Monasterio S. Matthiæ per Prioris intemperantiam scandalo, eoque renuntiato nobis, pergere illud necessarid coacti sumus. Nanquè oborta contentio inter Priorem & Monachum quendam suum, ad hoc usquè deducta est, ut gladii quoque nudarentur, & armati fustibus Monachi huc illucque discurrerent. Sumpto itaque nobiscum, sene nostro, & sacerdote quodam sene, nobis optimè cognito, & Cato Rectore Plebis Marani, quoddam Monasterio & Priore afficeretur malum, ad Monasterium manè pervenimus; ubi continuò congregato Capitulo, & præmissa objurgatione gravi, seditionis auctores carceri servandos tradidimus. Inde facta à Priore, ut moris est, confessione generali, & absolutione subsequuta, Priori penitentia injuncta est. Cæpit protervè contendere nobiscum, quoddam negotium Monasterii Bononiensis impedivisset, neque de Priore *Judacæ*, inobediens sibi, pœnas exegisset. Et cum rationabiliter stulta ipsius objectio reselleretur à nobis, diceremusque: ad nos ipsos spectare iudicium, etiamsi non fuisset appellatum; multò magis appellatione interposita; illum superbè egisse, qui iudicem alium expectasset; nos componere negotium velle, vix extortum est furioso, ut quiesceret. Converso, coronam gestanti, cum tolli eam juberemus, contentiosè Prior obstiteret, hæc & illa allegans; Abbas ipse, indignitate permotus, proacem verbis plenis rationis fregit, ac reppulit. Inde, admonitis Fratribus, & pacem inter se servare iussis, excessimus; reversisque ad Monasterium nostrum, adhibitis Abbate, & seniore ipso Sacerdote, Priorem: cæcari iussimus, eique omnia replicantes, tacitis delatoribus, quæ illi fuerant objectæ, quantum illius verecundiæ consuleremus, ostendimus, qui nolverimus dedecora sua in medium omnibus carnenda proponere. Sed rationem, ut promiseramus, honoris ipsius habuissimus, dum eos tantum adhibere volueramus testes, quibus neque amantiore sui, neque fidentiores haberet. Adversari ille primùm, & inficiari omnia, seq̄ue, tuendæ famæ suæ periculum subire veller, & delatoribus in faciem obstiteret, palàm proteitari. Hanc ipsius insipientiam, ubi certissima ratione repulimus, convictus tandem obtinuit, quod non possent ista, etiamsi refelli quivissent, sine sua, & quidè ingenti, turpitudine palàm re-

citari; quanquam, qui detulerant, parati erant, omnia illi in faciem dicere. Cùm itaque non posset pacificè in presentiarum amoveri; id tandem consilii fuit, ut ea illi præcepta traderemus, quibus & illius saluti, si ea servaret, & opinioni nostræ, & delatoribus prospiceremus. Plura ergo constituimus, quæ in scriptis redacta Priori ipsi, presentibus Abbate nostro, & sene illo sacerdote & aliis plerisque, illi legimus, & servanda præcepimus; nemine non approbante (præter ipsum solum) nostramque in illum lenitatem suscipiente. Vbi verò his presentibus omnia legimus; amotis reliquis, solisque Abbate, & Presbytero reservatis, præcepta secretiora tradidimus, quæ scriptis ligare, ob illius, & nostrum, ipsiusque Monasterii honorè, nolueramus, *περί τῆς τῶν νέων συνουσίας*, & aliis hujusmodi quibusdam. In omnibus autem Abbatis illum nostri iudicio, correctionique subiecimus, ita ut nihil administrare, illo inconsulto & irrequisito, non posset. Ipsorum verò præceptorum exemplar Abbati ipsi tradidimus, nobisque reservavimus; nè contravenire præsumeret. Prius verò quàm Bononia moveremus, duo illuc adulescentes sese contulerant Religionis nostræ, Augustinus ille, de quo suprâ mentio habita est, & Franciscus, Bononienses ambo. Hi dum superbis nos adivissent, & ut merebantur iugio accepti essent; mandatum à nobis est Priori Camaldulini, & S. Damiani, ut nisi obedirent literis nostris intrâ prescriptum diè, carceri traderentur. Contemnentem alterum ex his iussa nostra, ut sibi imperatum erat, coercuerunt, compedibus vincientes. Alter, quò missus erat, post perpetratum furtum, sese contulerat, isque ipse Venetias venerat, & in Monasterio S. Matthei scandall incensor effectus, carceri inclusus fuerat: nobis tamen ignorantibus furti ipsius culpam. Alterius compediti frater nos adierat, & literis tam summi Magistratus civitatis, quàm amicorum suffultus, ut fratri, sumendi Nigrorum habitum, licentiam permetteremus, obtinuit ea lege, ut non antea custodia relaxaretur, quàm fidei-jussores idoneos daret, seque habitum mutaturum. Id infringere Prior noster, nequiquam, diù conatus est. Scripsimus & ad nostrum Monasterium S. Christinæ, & puellæ illi Annæ literas dederamus, de qua sermo melius ad nos permanerat; rescriptumque erat nobis ita, ut omnis suspicio mala tolleretur. Literas præterea Vicario nostro miseramus, amice admonentes; eisque impatientius fuerat responsum. Forti animo perferre omnia, consilium fuit. Postea verò quàm, deliberato discessu, in anteriora pergere constitueramus, amicos omnes revisere, & Ducem denuò visitare decrevimus. Ipsum itaque intrâ cubiculum adire, & colloqui placuit; ubi accepti humanitate summa; illi, quæ compereramus, & utriusque Monasterii statum expressimus, ut si quandò placuisset aliud, non esset ignarus nostræ sententiæ. Gratiissimè pollicitus, nunquam se nobis defuturum. Offendimus cognatum suum Andream, Donatum, antiquum amicum nostrum, à quo idem gratè excepti, Duci demùm valescimus. Nostram indè profectioem Barbarus noster prævenerat literis, ut quocumquè tandem iremus, gratè susciperemur. At cùm prepararentur ad exitum, tùm verò Abbas noster sibi ipsi nequibat satisfacere. Denique non contentus humanitate præterita, quam xxx. diebus exhibuerat, sanis atque infirmis mira diligentia providens, abeuntes manusculis quoque profectus est, eisque gratissimis. Complexati prius omnem Congregationem, & exosculati, ad navem descendimus, necessariis omnibus onustam, Abbate nostro nos deducente cum lachrymis, & à conspectu amplexuque nostro egrè se avelli patiente. Tandem datis itineris fidelissimis lociis, xxv. Iunii Venetiis movimus valescences Abbati, ac Fratribus omnibus, rectoque itinere Patavium tendebamus, Fratre Abbatis nostri de Carceribus duce; ita enim ille constituerat. Miseramus priusquam Francolino moveremus, jumenta nostra ad Monasterium nostrum S. Mariæ de Vangadicia, ut illis alerentur; scribentes Abbati ipsius Monasterii amicissimo, & benevolentissimo nostro. Suscepit ea vir ille cum famulo singulari affectu; ibique per omne illud tempus, quo Venetiis sumus remorati, adhibita est eis summa diligentia. Vbi verò Patavium ingressi sumus; quia fama exierat, Episcopum civitatis Petrum Donatum, veterem amicum nostrum, postridiè profecturum ad Concilium, visitare illum continuò decrevimus. A quo accepti gratissimè, multis verbis de Concilio ipso ultrò citroque habitis, serò tandem discessimus, ea lege, ut sequenti die secum pranderemus. Primum itaque divertimus ad Abbatis nostri de Carceribus domum pulcherrimam atque amplissimam, egregièque instructam; magnificèque suscepti à

Fratre, qui nostrum speriebatur; adventum; ea ibi nocte requievimus. Manè verò misimus, qui iumenta nostra eò adducenda curaret; advenitque illuc Abbas noster, & alii quidam Prælati Religionis nostræ. Illis comitibus, adivimus denud Episcopum nostrum; ubi, finito prandio, domum omnem Episcopatus mirificè instructam, ad usquè pinnas, undè non solum civitas, sed omnis circum regio prospectaretur, Episcopo ipso duce, iustravimus. Negocium Religionis, nè ad Synodum evocaremur contrà jura nostra, illi, Vicariòque suo, Abbate instante, commendavimus. Indè, ubi remeavimus, à nonnullis religionis studiosis visitari affectu præcipuo sumus, maximèque ab Episcopo Signiense juvene piissimo, & quem Venetiis familiarissimè noveramus, & in causa Episcopatus sui (nam nuperrimè fuerat assumpus) illum & Pontifici Romano, & aliis quibusdam commendaveramus. Triduum, illuc remorati, loca Religionis celebriora cuncta vidimus, & imprimis Monasterium S. Iustini, quod celeberrimum erat, visitare curavimus. Accepti officiosissimè, offendimus Religionem laudatissimam, tamen opinione non maiorem. Vigilia Apostolorum Episcopus noster prandio nos accepit, neque reluctari diutius licuit. Aderat Marinus, amicus noster, Dalmata, sanctarum literarum imprimis studiosus. Eius dum quædam evolvere nobis proposita pergimus, invenimus Antonii VII. Epistolas, eatenus nobis incognitas, celeberrimas tamen. Exegimus iure amicitie, ut eas nobis transcribendas curaret; gratèque pollicitas est. Postridiè adivimus S. Michaelis Ecclesiam, Abbati nostro subditam, Missarum solennia celebraturi. Bonus ibi præerat vir. Offendimus illuc etiam Episcopum nostrum. Indè ad visendam domum Hospitalem Prioris de Orbisio, comitis nostri, profecti, redivimus ad diversorium nostrum. Visitavimus Monasterium de Porcilia, cui præerat Prior Monasterii Montis Crucum; vidimusque corpus Beati Antonii Peregrini. Ibi rerum indice, confecto, sequenti die, Monasterium Montis Crucum adire perreximus, comitantibus nobiscum Fratribus Abbatis nostri Hieronymo & Ludovico. Vbi ad Monasterium venimus, aptissimum Religioni offendimus locum. Collis enim eminens, vite, olea, & arboribus confitus, silva quoque cædua ex latere vestitus, in sui vertice id Monasterium habet, ædificiis honestis, & necessariis instructum, si adisset, qui religiosè vellet vivere. Delectati primùm amenitate loci; miserati sumus miseram conditionem, quod aptitudo huiusmodi esset inanis, neque habitatoribus idoneis frequentaretur. Solum quippè ibi Priorem invenimus cum Monacho, & Converso. Aggressi illuc visitare xxix. Junii, Priorem quidem, honestè vitæ comperimus, sed magna sociorum adversus illum est orta querimonia, quod esset avarissimus, neque necessaria provideret; possessionesque, & Monasterium ipsum, negligeret. Quod verum esse, & ipsi præsentis notavimus. Admonito gravitèr, & que fieri vellemus, injunctis sibi, xxx. Junii, indè profecti sumus, animo prospiciendi Monasterio, si Dominus juberet, eaque ipsa die ad nostrum Monasterium S. Mariæ de Carceribus, per montem Silicis, & Æstense oppidulum venimus. Suscepti ab Abbate nostro, atque à Congregatione omni cum processione solenni, præstitoque ab omnibus gratissimè, obedientie Sacramento, post exhortationem brevem, quia iam dies declinabat in vesperam, Placidus puer orationem in honorem nostri memoritèr recitavit, constantèr & commodè pro ætate. Delectati sumus mirificè studio ac diligentia nostri Abbatis; decem quippè pueros Monachos, ità educandos curaverat, ut nihil in eis puerile, præter gratem, deprehenderimus. Unam ibi diem quiescentes, calendis Julii visitare ex officio nostro, aggressi sumus. Quædam ad nos de Abbate ipso fama perduxerat; quæ cautè ac subtilitèr inquirentes, falsa fuisse deprehendimus; multumque edificati, non dissimulavimus, quin lætitiâ nostram, venerabili Patri Abbati S. Michaelis, & Hieronymo fratri, literis nunciaremus. Examinatis omnibus, puerisque ipsis adhibitis singulatim, quatuor ex omnibus, qui erant majores natu, Abbate volente, ad professionem admisimus, v. Julii, magno cum gaudio omnium. Quædam fuerat inter Abbatem ipsum & vici, cui *Vighizzolo* vocabulum est, homines oborta contentio, de Sacerdote, qui illis Missarum solennia celebraret. Quia enim subditi Monasterio sunt, remoti fermè tribus millibus passuum, ad quos adiri ex Monasterio non facile (hiemis maximè tempore) potest; petebant illi, sibi Sacerdotem dari perpetuum, qui apud se remoraretur. Abbas ratione nitēbatur tueri Monasterii sui jura. Ea partium tandem cōventio fuit, Abbate maximè instatè, ut staretur iudicio nostro. Non invitè in eam

sententiam ferunt. Auditis itaque diligentè, quæ afferbantur, aditòque loco ipso, ut oculis quoque conspiceremus Ecclesiam; attendimus in pariete Ecclesiæ ipsius inserta saxa, antiquis insculpta literis. Epigrammata pervetusta erant. Indè profecti ad Monasterium, rem omnem ita composuimus, ut licet à principio quidam reclamaverint, pacati tamen quietique discesserint, nobisque gratias egerint postmodùm. Adhibitis postremò, ut solenne est, ad Capitulum Fratribus, post absolutionem & exhortationem, quam inspirare dignatus est Dominus; præcepta, quæ scripteramus, omnibus legimus, & servanda mandavimus, nemine non libentèr accedente. Hortati sumus Abbatem nostrum, ut plures nutrirer pueros, cum præcipuè haberet parata omnia, habitationem aptissimam, amplosque Monasterii redditus. Pollicitus est, facturum omnia libentissimè. Cumque, jussu Pontificis, omnes illarum partium Prælati ad Concilium ire cogerentur, & Abbas noster unà cum cæteris; vices illi nostras publico instrumento permisimus; eademque die & nos Orbisum, & ille Patavium ivimus. Offendimus in loco angusto & solitario Priorem, boni testimonii hominem, tenui victu secum tres socios alentem. Mirum est, quanta omnium, ergà illum observantia, quæ dilectionis vis, quæ commendatio fuerit. Nobis es, ignobiles, rustici, sæculares, Clerici, uterque sexus, mira de illo prædicabant. Visitationis officio peracto, blandè illius inopiam remeavimus. Placuit medio ex itinere, veluti ex cuniculo, deflectere paulisper, ut Francisci Petrarchæ tumulum in villa Arqua cerneremus. Vir enim nobilis ætate nostra, & literis deditus, à quo ferè sunt excitata studia humanitatis, ut Mausoleum suum visere cuperem, facillè de me obtinuerat. Eo salutato, precibusque pro illius requie fuis, contendimus ad Monasterium. Compositis ibi rebus, 1x Julii indè progressi, Abbate comite, ad Vangadiciam contendebamus. Occurrit nobis plùs quàm mille passibus Abbas ipsius Monasterii, conjunctus olim nobis pietate singulari; transitoque, Athesi amne, prior ad nos transmeavit: simul itaque profecti ad Monasterium venimus. Nulla ibi servata consuetudo est, quia reuerà absque ordine jandiù viventes Monachi, quid in hujusmodi soleret fieri, prorsus ignorabant. Suscepti sumus magnificè ac splendide, contra quàm nobis fuerat à nostro Abbate prænuntiatum, qui agebat mira de hominis miseria. Quanquam non in eo solo, verùm, quando egressi indè sumus, & in aliis quibusdam in eò viro, nobis optimè caro, desideravimus fidem ac temperantiam. Resalutatis nobis, Abbas ipse, post biduum, ad suum Monasterium rediit. Interea, cum fama percrebuisset, nos eò advenisse, adierunt nos plerique loci illius honestiores viri laici, commendantes nobis Monasterii ipsius disciplinam, multaque contra Monachos gravia proponentes. Magistratus quoque solliciti, quidnam facturi essemus, expectabant. Accepto ab omnibus, ex more, obedientiæ juramento (à quo tamen Abbas ipse idèd abstinuit, nè juri suo præjudicium ullum gigneretur. Fuerat enim prænuntiatum Ferrariensis Episcopus; verebaturque, nè, si se subiceret juramento, jus amitteret Episcopatus. Neque ea ratio sua, cum se totum liberè permitteret nobis, à nobis improbata est) visitare cepimus; neque sanitas ulla inventa est. Multa invenimus, quæ emendatione opus haberent, & quidem acri; ut animadverterimus, non inanes fuisse sæcularium virorum querimonias. Vbi omnes discussi sunt; contulimus secretiùs cum Abbate ipso, quæ inveneramus, dolentes nimium, ipsi tales inesse socios. Doluit & ipse nobiscum vicissim, utque remedium excogitarem oravit; se per omnia sequi paratum monita nostra, & obsequi jussis. Itaque, citrà observantiam Regularem tamen, constituere Monasterium aggressi; ea omnia mandata in scriptis dedimus, quæ & antiquum dedecus tollere, & Religionis formam aliquam, & initium dare posse, si servarentur, videbantur. Ea omnia, & cætera Statuta nostra quoniam alibi notavimus, hinc nequaquam putavimus inferenda. Iudicio Abbatis ipsius atque omnium probata, consensuque parili admissa gratè sunt. Ex eis quosdam amovimus; reliquos admonuimus gravitèr, Abbate ipso præsentè & adsupulente dictis nostris. Scripta illis reliquimus præcepta nostra, & ea inviolabiliter servanda mandavimus. Sæpè cum Abbate ipso contulimus nostra Religionisque negotia. Fuerat enim in gradu nostro annos plures; &, iudicio quidem nostro, injuria anctus, plurimaque edoctus, videbatur.

Indè vii. postquam eò veneramus, die profecti (Abbate ipso ægrè, nos abire, permitten-  
te, multumque, ut in reditu nostro se reviseremus, orante) Mantuam pergere constitui-  
mus. Per hanc occasionem Monasterium Religionis nostræ propè Bononiam S. Michaelis  
de Castro Britonum, ante C. ferdè annum, quidam Religionis novæ homines pervaserant,  
& hastenùs incubant. Ex ea Religione superstes unus, Bononiensis civis, qui partium stu-  
diis exulabat Mantuæ. Eum (quoniàm pacisci cum alia Religione velle, sumpto stipendio  
annuo, acceperamus, & hujus rei gratia Bononiensi Legato Fantino nostro literas jam sepe  
dederamus, cui fuerat negocium à Pontifice Romano permillum) adire, & alloqui, se-  
cumque coràm tractare negocium, consilium fuit. Itaque xvi. Iulii moventes Monasterio,  
Mantuam vesperè venimus. Postea verò quàm Victorino Feltrensi, amicissimo nostro, qui  
hujus quoque rei gratia laboraverat plurimum, literis nostris admonitus, adventus noster  
innotuit, mira benevolentia suavitate nobis occurrit. Nusquam fermè plùs humanitatis  
invenimus. Per se ipsum deniquè; per discipulos, bonos viros & eruditos, ut facilè de  
illius ludo esse noscerentur, nobis ita obsequutus est, ut nullam officiosissimi hominis  
partem in se desiderari pateretur. Volumina quædam, primò, peregrina, ut nobis essent  
solatio misit, munusculisque dignissimis prosequutus est, & à latere nostro, quantum illi  
fas erat, nunquam discedebat. Didicimus continud, hominem illum, cujus gratia adven-  
ramus, abesse; quem Victorinus noster, misso nuntio celeri, convocavit. Biduum ille  
integrum fuimus, dùm illius expectatur adventus; cùm lautius semper à Victorino suscepti  
sumus. Adire illum, visendæ Bibliothecæ illius gratia, ubi perreximus, occurrit nobis cum  
Mantuani Principis filiiis, quos instituendos acceperat, aliisque nobilibus ac studiosis; ab  
que his omnibus deducti, expositam Græcorum voluminum struem evertimus, ibique non  
nihil peregrinitatis offendimus. Nam præter ista communia Platonis, Plutarchi, Demo-  
stenis, & cæterorum tùm Philosophorum, tùm Oratorum, tùm Poetarum, tùm Histori-  
corum; Orationes quasdam Iuliani Cæsaris, Homeri Vitam ab Herodoto scriptam, Quin-  
tiliani Musicam, & alterius senis de Musica opus, & Augustinum de Trinitate, & quæ-  
dam alia notavimus, eaque protinùs Nicolao nostro per literas significavimus, Victorini  
ipsius amicissimo; Reginæque Berenicis, imaginem ex aureo nummo Venetiis expressam,  
misimus. Delectati sumus maximè humanitate viri, studioque mirabili non solum adultis,  
verùm pueris atque puellis Græcitatem conciliandi. Deniquè Principis filiam, octo fermè  
annorum, ita imbuerat, ut legeret jam & scriberet, Græcæque & nomina & verba inof-  
fensè declinaret, non sine admiratione nostra. Pueros præterea plures eadem ratione do-  
cuerat; & si quos fortè boni ingenii animadverterat, eos, si essent pauperes, educabat  
& instruebat: magnum se reputans fructum ex eorum profectu reportare. Placuit Cartu-  
sieneses Fratres nostros visitare, à quibus invitati fueramus. Accepti ab eis affectu summo,  
post prandium remeavimus; novo inspecto Monasterio, quod erat euntibus pervium. Re-  
versum virum illum diutiùs, Victorino præsentem, nequicquam sumus allocuti. Nam, præ-  
ter verba, retulimus nihil; aliòque itinere aggredi, si vita comes erit, instituimus. Indè  
cùm proficisci antè lucem pararemus, prævenit nos Victorinus noster, eques cum sociis,  
nosque tribus fermè passuum millibus deduxit abeuntes; cùm amovere eum à nostro co-  
mitatu nulla ratione possemus. Totus illi sermo de literis, de probitate, de modestia, de  
religione, de viris nostræ ætatis illustribus. Vix tandè illum è complexu nostro lachry-  
mantem dimisimus; quo die Veronam hora fermè ix. pervenimus. Divertimus ad Mona-  
sterium S. Salvatoris, cui Gregorius præerat, vir amicissimus, & nobis optimè cognitus.  
A quo accepti humanissimè; cùm post refectioem multum diei superesse videretur, visi-  
tare ex officio nostro perreximus Præfectum civitatis, Marcum Iustinianum, virum amicitia  
nobis conjunctum singulari, animi religiosissimi atque pijsimi. Accepit nos ille inæ-  
stimabili gaudio, diutiusque complexatus atque allocutus, non aliter à se dimisit, nisi  
abeuntes deduceret. Obvium habuimus & Prætorem; à quo itidè aliquantulàm deducti,  
vix impetravimus, uti verecundia consuleretur nostræ. Itaque utroque dimisso, pergere  
ad Monasterium S. Zenonis, quia celeberrimum ferebatur, constituimus, licet longè di-  
staret. Vidimus Ecclesiam amplam satis ac speciosam; reliquum Monasterii non satis con-  
ceptæ opinioni respondereprehendimus. Bibliothecam Sacrorum voluminum copiosam

evolvimus: Reversi ad Monasterium, quod supra Athesim est, nocte requievimus. Post-  
 tridiè à Præfecto urbis, data opera (nam ita inter nos convenerat) Ecclesie majoris Bi-  
 bliothecam (erat autem celeberrima) vidimus. Plurima ibi erant volumina miræ vetusta-  
 tis, quæ singulatim discussimus omnia; nihil tamen ferè, præter quàm confucveramus,  
 invenimus. Adiit nos ad ipsum S. Salvatoris Monasterium Abbas quidam, bonæ religionis  
 vir, Vallumbrosanus, multisque precibus, ut ad se prorsuri posttridiè diverteremus, obti-  
 nuit. Nobiles plerique & studiosi nos visitarunt. Ipse Præfectus, quandià ibi fuimus,  
 magnificè habuit nos. Legimus ibi, & casu quodam (nam Venetiis, dedita licet opera, vi-  
 dere datum non fuerat) Isocratis Orationem *περί τῆς Βασιλείας*, à Bernardo Iustiniano,  
 illustri adolescente, ex Græco conversam; maximeque sumus admirati pueri fermè inge-  
 nium; nobiscumque habere volumus. Visitavimus Priorem ipsius Monasterii, & quæ de  
 illo fama vulgaverat, vera esse deprehendimus; nanque *γόν* habuit, juvenem ingenij non  
 mali, à quo scriptam Orationem acceperamus: continenter tamen vixisse aliquot annos,  
 & eatenus vivere, asseveranti, nequaquam fidem derogare potuimus. Itaque admonitum,  
 ut deinceps caveret laqueum, & benè pollicentem, dimittere statuimus. Invaserat ibi  
 Clementem, nostri itineris comitem, lateris dolor, acriterque vexabatur; cùm 111. die Ca-  
 maldulini Monasterium visitare decrevimus. Priorem ipsius Monasterii in Monasterio Car-  
 cerum liqueramus; Monachumque illic solum invenimus. Placuit ipsius Monasterii situs  
 mirificè, licet ædificia diruta displicerent. Monachum examinavimus, magnamq; omnium  
 rerum inopiam offendimus. Exhortati hominem ad benè vivendum, ea ipsa die Veronam  
 reversi sumus. Indè posttridiè profecturi; visitare denuò instituimus amicissimum nostrum  
 Marcum Iustinianum. Cum quo diutiùs collucuti; ad nostrum Monasterium non aliter,  
 quàm ipso comite, redire potuimus. Est in ipsa Ecclesia conditum Beati Gualfardi corpus,  
 cujus Vitam, & miracula ibi legeramus. Ignarum eatenus ejus rei Præfectum, ad sepul-  
 chrum Sancti viri duximus; Vitamque illius ei ex parte legimus; Pileolumque suum (nam  
 servabatur intrà Sacarium) illi ostendimus. Posito genu, ipsum capiti suo imponi, vir no-  
 bilissimus postulavit; fecimus satis votis ejus, à nobisque dimisimus. Consilium fuit, quo-  
 niàm Vincentiam eramus profecturi, nè Clementem frangeret equitatio, ipsum Veronæ re-  
 gnare petebamus; ad Monasterium nostrum S. Viti vesperè venimus. Præerat illi Dominus  
 Marcus Venerus, de quo nos, cùm adhuc Venetiis essemus, indigna plurima compereramus.  
 Invenimus illum obvoluto capite, febrem, sive patientem verè, quod tunc putavimus,  
 sive simulantem, quod postea rei exitus docuit. Plurima contra illum à sæcularibus obje-  
 cta, eisque suo Monasterio obnoxijis; his, quæ Venetiis acceperamus, ut fidem habere-  
 mus, effecerunt. Sed res plena difficultatis. Nè quid tunc decernere possemus, obstabat  
 simulata infirmitas, Monasterii ipsius res admodum tenuis, hominum caritas; neque enim  
 quem abrogato subrogaremus, facile occurrebat. Satisfecimus delatoribus quantum licuit,  
 bono animo esse jubentes, ractionesque probabiles dilationis nostræ afferentes. Ingressi  
 oppidum, Episcopum visitare perreximus. Accepti comitèr, sermonem de Concilij rebus  
 protraximus diù; valeque illi facientes, obvium habuimus hominem studiosum, nobis  
 optimè cognitum. Reversi ad Monasterium vesperè, adiit Gregorius noster Vincentinus,  
 illustris adolescens, Florentiz superiori tempore cum Fantino remoratus, functusque nobis  
 aliquandiù exceptoris officio, cùm Chrysolomi quædam converteremus ex Græco, Am-  
 plexi gratissimè juvenem observantissimum nostri, ex eo primùm didicimus, Fantinum  
 nostrum ea illuc die advenisse, atque extrà urbem in agello remorari; multùm orante, ut  
 illum viseremus. Nos, quia in alia intenderamus animum, nuntiusque allatus, quod, Ba-  
 silicam nos ire, Florentinorum Magistratus decrevisset, Episcopi Vincentini fuerat assentio-  
 ne firmatus; remorari diutiùs passim non sumus. Plerique nos adiere nobilium, & erudito-  
 rum, cùm adventum nostrum comperissent. Barbari nostri præmoniti literis; quantumque  
 permittebat hora (nam declinabat in vesperum) humanissimè sunt allocuti, bonaque cum  
 gratia nostra discesserunt. Compositis ibi modicè rebus, mane summo profecti constitui-  
 mus.

36  
mus. Placuit mirificè Vincentianus agor, quà maximè Verona petebatur. Vita enim, atque  
olea, pinguique solo, & lenitèr acclivis collibus, aerisque temperie, præter reliquas re-  
giones amœnus est. Vidimus, & Monasterium proximum S. Marci, cui præerat dudum  
Religionis nostræ Monachus. Sed, & intrà urbem inspexeramus Monasterium Prædicato-  
rum, Bibliothecamque evolveramus. Aderat nobiscum Gregorius Prior. Itaque conducto  
homine, qui nos ad Monasterium duceret, breviorè via iter aggressi ante lucem, devias  
secuti sumus, per imperitiam ductoris nostri: Marco ipso, Vincentino Priore, comitante,  
qui pridie decubabat lectulo, ceterosque præeunte. Venimus ad ipsum Monasterium hora  
fermè ix. Illic die ipsa quiescentes, cum Abbas ipse, vera esse, quæ de profectioe nostra  
assereretur, assereret, properare adhuc magis instituimus. Itaque postridie, Abbati vale  
facientes, ad Monasterium de Vangadicia, Gregorio duce, perreximus. Offendimus illic  
Benedictum, & Clementem, nostri itineris socios, Verona profectos navi. Illic non  
nihil perturbationis invenimus, quia Abbas noster, ut est mitis ingenii, non perstare in-  
sententia videbatur, ægréque, avelli quosdam à se, pati. Accessit infamis cujusdam ex Mo-  
nachis lapsus, quem corripere, præsentibus omnibus & Abbate ipso, necesse fuit. Quidam  
ex his, puerum à se, ut ferebat, educatum, in Monasterio Vicis indolis dimittere nolens,  
induxerat; ut clam Monasterio abscedens, domum se reciperet. Displicuit hæc illius ne-  
quitia, eamque digna infestatione verborum, carcere quoque castigare studuimus. Confir-  
mare Abbatis nostri animum curavimus. Ibi que biduo exacto, conciliatisque omnibus,  
quantum licuit, Ferrariam peturi, discessimus. Magno honore, & quidem majore, quam  
prius, nos Abbas noster acceperat; proficiscentibus à se, necessaria nobis duo volumina  
Constitutionum nostrarum tradidit. Prosequuti sunt nos Philippus Monachus, & alius  
Cancellarius ipsius Abbatis, & Ioannes de Ferro aliquot passuum millibus, transvadato-  
que amne, navi venimus ad villam Arquam. Vbi, cum angusto canali tribus fermè milli-  
bus navigandum esset, neque navis adesset, quæ perferret, aliquandiù expectavimus ne-  
cessariò. Et cum navicula se obrulisset, paucis vectoribus onusta, hanc ipse accendi, fo-  
ciis, ut majore navi cum jumentis veherentur, retrò dimissis. Erat autem parata, ut pu-  
tarem protinus sequuturos; securique contendimus ad portum, cui vocabulum est, *Do-  
mus Silvestris*. Ibi cum diutiùs expectarem; vehementèr admirari tarditatem subsequen-  
tium, & augurari mulæ nostræ aliquod adversi contigisse, incepimus; neque fuit fallax  
nostra suspicatio. Nanquè, vix tandèr applicantibus fociis; periculum expavimus, quod  
incurterant. Cum enim jumenta septem ea navi veherentur, mula nostra sive infestantibus  
muscis, sive jumentis aliis imminentibus, saltu sese in profundum aquarum coniecit: ad  
quam expiscandam famulus noster strenuè descendit, nansque, manu frænum tenuit alias  
mergendæ mulæ atque perituræ; navique proximus, cum se illa saltu itidèr ex aquis in-  
navim reciperet, navi in alteram partem inclinante, submersionem omnes justo metu ti-  
muere. Eo tandèr (& magno quidèr) periculo erepti socii, pallentes adhuc, quæ conti-  
gerant, mirantibus, exposuere. Indè moyentes, ad portum media jam die pervenimus,  
*Francolino* illi nomen est; Padoque transmisso, Ferrariam illapso jam vespere venimus.  
Adiit nos continuè Guarinus noster amicissimus; eoque ipso comite ac duce, Principis fi-  
lium, Leonellum, adolescentulum mitis & clari ingenii, salutatum perreximus. Humanissi-  
mè accepti, sermonem diutiùs produximus; hortati docilem juvenem, religioni imprimis  
ac studiis humanitatis, operam dare. Ab eo ubi discessimus, Guarino commendato (sic  
enim ille petierat), Iacobum Ziliolam, qui coram aderat, resalutavimus. Coenavit nobiscum  
Guarinus ipse; xenia à Iacobo missa cenulam honestarunt nostram. Postridie, summo ma-  
ne, profecti, cum xvi. fermè millibus passuum processissemus, & in hospitio modicè quie-  
sceremus, advenit Ioannes Monachus Vangadiciensis, quem amorum literis ab Ecclesiâ,  
cui præerat, Bononiam ire jusseramus, inducias postulans, dum fruges colligerentur.  
Annuimus illius votis, lætumque remisimus. Indè Bononiam profecti, ea ipsa die ad Mo-  
nasterium S. Mariæ de Angelis venimus, ipsumque Monasterium visitare constituimus, III.  
Kl. Augustus. Aded verò invaluerat æstus, ut summitates brachiorum mirificè sensimq;  
amitterent corium. Socium itineris nostri, Benedictum, Ferrariæ liqueramus, ut navi  
cum sarcinulis nostris nos sequeretur. Aliam itèr ex fociis, cum Faventiam ire se velle,  
signa-

signaret, dimisimus liberè; ut nos expectaret, injussusque non rediret, illi in mandatis dantes. Subsequentus est nos, triduo fermè, postquam illò adveneramus, Benedictus eger, febris enim cum pervaserat, fortè quòd vehiculo aliquot millibus fuisset adductus, contractusque immodica agitatione esset. Languor ejus xx. fermè dies nos occupavit, conducto Medico, qui illius haberet curam. Per eos dies crebri ad nos fuerunt conventus amicorum. Sed & Monasterium nostrum S. Christinæ crebrò visitavimus. Impetravit à nobis Monasterii Mater, ut Monasteria viseremus sibi subdita, duo, S. Andreæ & S. Christinæ, VIII. extra urbem lapide. Profecti, lautè suscepti sumus, Matre ipsa procurante. Vidimus amenissimam regionem & S. Christinæ Monasterium vetustum conspeximus: Ibi conditum est S. Lucie corpus. Ejus cum Vitam legere vehementè cuperemus nullam adesse scriptam comperimus. Erat hoc celebre illius vulgatumque miraculum. Adamaverat illam, quippè speciosissimam juvenis nobilis, adibatque frequens Monasterium, visendæ ejus grati. Nam, cum esset clausa cellula Ecclesiæ conjuncta, per fenestram, Sancta, Missarum solennia uide consueverat. Hac, juvenis, hora captata, eò adveniebat, ejus inspiciendæ tantum gratia. Id ubi advertit Virgo pudicissima, fenestra damnata, se se intrà cellulae secreta continuit; Patri, qui in abscondito videt, placere desiderans. Juvenis, amore cebrus, cum spem omnem ejus potiundi sibi sublatam cerneret, desperatione victus, se se ad remotiores barbarasque nationes contulit. Interea Virgo felix migravit ad Dominum. Cum juvenis à Saracenis captus fidem negare, aut mortem oppetere, cogebatur. Inclusus carceri, & compedibus vinctus ut solet intellectum auditui dare vexatio, recordatus est Lucie Sacratissimæ Virginis; compunctusque corde: O, inquit, Lucia, Virgo Christi, si quid apud Deum præuales, adjuva me, atque his necessitatibus libera. In his verbis somno corripitur; experrectusque, propè Monasterium fermè adjectum lapidis, vinctus compedibus, consueti signi sonum haurit auribus. Apparuit illi per visum Virgo Christi; & ille ad ejus aspectum admiratus: Vivis ne, inquit, Lucia? Et illa: Vivo veram vitam, ait. Vade, & compedes istos ad sepulchrum meum defer; Deoque gratias age, qui te de imminente periculo liberavit. Paruit ille jussis. Eas nos compedes vidimus; neque desunt, qui asseverent, eas nulla unquam ratione inde potuisse amoveri. Reversi, Monasterium S. Michaelis propè castrum Britonum, de quo supra sit mentio, vidimus, desolatum & destitutum. Inde Bononiam reversi; perturbatam civitatem intestina seditione deprehendimus. Multa his diebus tractata cum amicis & religionis nostræ hominibus. Procuraverat miro studio Augustinus, quem habitum mutasse prædiximus, ut redire ad Ordinem liceret. Id sibi omninò denegatum, ubi intellexit, proposito destitit. Illuc se ad nos retulit, cum aliquandiu præter spem remoraremur, Vgolinus socius noster. Ejus adventus ingratus acceptus, toleratus tamen. Vidimus per eos dies denuò Bibliothecam Prædicatorum refoeditissimam voluminibus sacris. Ibi præter notiora, volumen invenimus, ubi Gesta Conciliorum Veterum descripta erant, & imprimis Chalcedonensis Synodi per Actiones distincta pulcherrimis & antiquissimis literis. In eo volumine erant libri, nisi fallor, xv. Facundi cujusdam, de ipsius Concilii Gestis contra detrahentes, pleni facundia & eruditione, ut nomini illius respondere planè viderentur. Vidimus pleraque civitatis Monasteria; Bibliothecasque evertimus, sed nihil peregrinum præterea offendimus. Admirari libuit Stephani Porcii Prætoris sapientiam, quæ in civili tumultu maximè enituerat. Nam, cum arma utraque factio & plateam occupasset, etsi necdum plenè morbo, quo plures jam dies tenebatur relevatus, se se medium ingessit, neque prius destitit, oratione suavi animos conciliatos mulcens, quam arma deponerent. Visitavimus illum ex officio nostro, ejusque germanum, illustrem adolescentulum, Marianum, cujus tanta est indolis gratia, ut xvi. annum agens oraverit publicè, vicisque fratris strenuè impleverit. Quandiu licuit, nos certè nunquam deseruit; mirificè observans nostra omnia. Sigilla ærea duo miræ artis & vetustatis dono dare voluit; sed, ut convenientiora sibi, admittere noluirnus, & gratias egimus. Ancillas Christi sæpè vidimus, & coram exposuimus filie nostræ causas doloris nostri præteriti. Sic illa satisfacit nobis, ut nulla suspicio remaneret. Adhorrati & omnes simul, & seorsim singulas, idque sæpius, pleni bonæ spei inde semper abscessimus. Per eos dies plerique nos & nobiles, & religiosi, ac studiosi adierunt, & officiosissime



78  
sissimè salutavere. Animus fuit Monasteriū Nonantulæ visere, xx. ferè passuum millibus remotā,  
Mariano meo comite; sed Abbatis sive invidentia, sive imperitia obstetit, afferentis: nulla  
ibi esse volumina; cum plurima mirè vetustatis illic pulvere & situ jacere demersa, ex auctoribus  
certis comperissemus. XX. ferè postquam illuc veneramus die obviū habuimus virum religiosi  
habitus, qui nobis literas & à Lucensibus Dominis & à Hieronymo germano nostro redderet.  
Postulabant illi, ut Monasterio Cantiniani, cui socium itineris nostri Dominicum præfere-  
ramus, secularem Sacerdotem bonæ vitæ (ut agebant) quod sibi esset carus & fidelis, Ab-  
batem daremus, quia Florentinum omnino habere nollent. Rationabiliter & nuntio (nam  
apertius ille longè, quàm literæ, Lucensium intentionem exposuit) & literis ipsis à nobis  
obviatum est; esse in Religione nostra quàm plures idoneos ex alio, quàm Florentinorum  
solo, qui possent ad id commodius & honestius assumi. Fieri nanquè contrà honestatem  
Constitutionum nostrarum iurisque communis si Sacerdos secularis repente assumatur.  
Abbas. Adhac, electum à nobis, Florentinum non esse. Ea ratione nostra nihil motus  
ille, in sententia persistit. Ea tandem conclusio fuit; Nos brevi affuturos, eamque rem co-  
ràm melius, quàm absentes, acturos. Fratris literæ præsentiam maximè requirebant no-  
stram, nescientis eatenus, ubinam essemus (neque enim literas nostras, quas plures illi  
scripseramus, acceperat): Imminere ferè exitium nostris rebus, nisi maturarem ire.  
Placuit nequaquam ultra remorari, dimissoque Benedicto adhuc imbecilli, neque apto ad  
equitandum, postridiè Bononia profecti sumus. Florentiam prima mansione venimus,  
Indè ad nostrum Monasterium S. Petri de Luco .11. diei hora pervenientes; post cibi,  
& somni modicam refectionem, cum jumentis jam infedissemus, Florentiam peturi, li-  
teræ à filio nostro Augustino allatæ, quibus Hieronymum fratrem gravi morbo laborare si-  
gnabat, animum sollicitarunt nostrum; atque iter aggressi, quod reliquum erat, multis cu-  
ris, & cogitationibus macerati, pereginus. Divertimus ad nostrum Monasterium xx. & 11.  
ferè hora. Occurrit nobis tam Prior, quàm omnis Congregatio; magnoque gaudio  
accepti, quærebamus Hieronymum fratrem visere. Is, comperto nostro reditu, contrà in-  
firmitatem nitens, ocyor atque anxius advolat, atque in amplexus nostros & oscula ruit.  
Scripseramus illi ex Venetiis, modicè exoptulantes, cùm aliquandò inter scribendam quæ-  
dam infereret, nos inconstantia culpantia; idque ipsius commodis prospicientes; idque  
extremis illis literis fecerat, quibus urgebat ad reditum. Sed planè bono id animo, affe-  
ctūque mirabili faciebat frater amantissimus atque dulcissimus. Nihil enim in nobis nisi  
summum, nisi perfectum, aut esse, aut fingi cupiebat. Ejus tunc levitèr maxillam ferien-  
tes, causam tantæ concitationis quærebamus. Satisfecit ille sermone purissimo mitissimò-  
que responso. IV. ferè, postquam eò adveneramus, die Novitium Jacobum, bonæ indolis  
adolescensculum, à Priore requisiti, ad professionem admisimus. Offendimus negotia no-  
stra opinione se habere deterius. Itaque continuò institimus cum amicis & summo itèr  
Magistratu Civitatis, nè quid jura nostra violarentur: tuncque, præter quotidianos tracta-  
tus, nihil actum est. Volebant à nobis solvi in subsidium Civitatis majorem pecuniæ sum-  
mam, quàm tenuitas facultatum nostrarum pateretur. Multis ultèr citroque verbis ne-  
quicquam consumptis (jam animos in alia intenderant, quod postea rei exitus docuit)  
eàm Imperatorem Ferrariæ breviter affuturum fama esset; visus est nobis, Prælati nostris  
approbantibus, illum, quod esset nostra Religio Romanorū Imperatorum beneficiis ac pri-  
vilegiis aucta, ex officio nostro visitare; Hieronymo maximè fratre, ut id faceremus, in-  
stante. Multum admirationis justique doloris ceperamus, quod Vicarium, à nobis antè  
quàm Venetias proficisceremur institutum, diutius à sedibus nostris absuisse didicimus;  
conquestique sumus, quod, per hanc ipsius absentiam, incommoda multa provenisse do-  
mum nostræ, verisimili ratione putavimus. Dolentes hanc ipsius absentiam, neque suis ne-  
que aliorum literis, vel nuntiis nobis fuisse signatam, ut prospicere possemus necessitati-  
bus nostris. Adit nos, priusquam indè moveremur Mariotus noster, pluraque retulit, quæ  
mæstitæ adderent causas. Sic afflicti & attriti, sumpto nobiscum volumine, quod traductam  
à nobis Chrysostomi Vitam contineret, dono Imperatori dandum, profecti Florentia su-  
mus, 11. Nonas Septembris. Constitueramus Mariotum, qui vice nostra presideret, & Here-  
mi solennia mutaret officia. Placuit ad LAVRENTIVM nostrum primò divertere; à quo  
accepti

accepti in villa summa cum gratia, peracto prandio, inde, illo quiddam reniteate, porrexi-  
 mus, eo die Caurennum profecturi; lustratis tamen prius habitationibus singulis, & salu-  
 tatis omnibus, eaque sponsione data, ut in reditu nostro biduum illic secum moraremur.  
 Dato itaque socio itineris, qui ignaros deduceret ad proximum castrum, ea ipsa die, ut  
 constitueramus, Caurennum pervenimus, postridieque Bononiam. Ibi certiores facti, Im-  
 peratorem non prius, quam post iv. di. m, Ferrariam ingressurum, eam diem expectare de-  
 crevimus, ut impendio parceremus. Egimus festivitatem Nativitatis B. Mariæ V. in nostro  
 Monasterio S. Christinæ; ubi animos omnium in sancto instituto confirmare curavimus.  
 Prius autem, quam Florentia proficisceremur, accepto nuntio, quod Abbas Monasterij  
 S. Petri de Rotis diem obiisset, convenimus Priorem S. Margaritæ, ut cum ibi præficerem-  
 us Abbatem. Verum renuente illo, Domnum Dominicum, socium nostrum, maturè con-  
 stitui mus, ut periculis occurreremus. Instabant enim nobiles quidam, & imprimis Rodul-  
 phus Pirucius, defuncti Abbatis frater, ut nepoti suo, puero adhuc, traderetur; jamque  
 inde Romam scripserat, adventus, ut fatebatur, eatenus ignarus. Cujus nos cum fregisse-  
 mus conatus, rationabiliter obviantes; quod Abbas illic jam esset institutus; neque ulla  
 ratione liceret, servata dignitate nostra, id permittere, ut præficeretur puer læcularis;  
 polliceremurque, si puerum nobis traderet imbuendum, fore, ut suo tempore amicitie  
 quoque rationem habuisse videremur: avertit se ab instituto curriculo, & favere pollicitus  
 electo Abbati per omnia, discessit à nobis. Et quoniam proficisci nos illuc nequaquam  
 poteramus, negotiis aliis intenti; placuit mittere Abbatem S. Zenonis vna cum Priore me-  
 morato & Abbate electo, qui electionem Monachorum, à qua se ipsi sua temeritate pri-  
 vassent, qui contra Instituta, nobis absentibus, eligere vnum ex numero suo quæsisent,  
 subdolè impedirent, & huic Monasterij possessionem pacificam vice nostra darent. Obsi-  
 stentibus aliquandiu, minæ additæ; mira enim stultitia, id negotium impedire conati sunt,  
 & nostram eludere auctoritatem quæsierunt; irà ut Florentiam quoque, consultandi gratia,  
 mitterent. Verum ubi nostris & literis absentes, & verbis præsentis coerciti sunt; sana-  
 tandem mente recepta, se se nobis permittentes, eum ipsum elegere, quem præfeceramus.  
 Itaque peractis omnibus, cum illi redissent, secretius Abbatem S. Zenonis arguimus, quod  
 Monasterium de Buldrone, postquam electus à nobis fuerat, plus, quam semel, adisset,  
 pernoctassetque ibi. Hæc atque illa allegantem, admonuimus graviter; & ne ad illud,  
 vel ad aliud Monasterium vltra iret, interdiximus. Liberè pollicitus est, se obsequaturum.  
 Iveramus ad Monasterium ipsum, inquisituri veritatem rei, eamque simplici Abbatissæ con-  
 fessione, licet negasset primò, postea tamen expresseramus. Non pepercimus, quin Custo-  
 dem quoque Monasterij graviter insectaremur, qui neglexisset parere monitis nostris. A-  
 beunti à nobis verbo primùm, post autem & scripto, vices nostras injunximus, ut Lucam  
 se transferet cum literis nostris ad Præsules civitatis, negotiumque Cantinianensis Monaste-  
 rij prosequeretur; conditionibus his sibi præscriptis à nobis, ut videlicet, curaret propo-  
 nere quosdam à nobis denotatos. Quod si illi non cederent; inquireret de persona Sacer-  
 dotis: & si honestæ quiddam vitæ, ætatisque legitimæ deprehendisset, tradito sibi primùm  
 Religionis habitu, admissoque ad professionem, Monasterium traderet gubernandum. Bo-  
 nonia movimus comitantibus Fratibus nostris Prioribus Camaldulini, S. Damiani, & S.  
 Mariæ de Angelis, x. Septembris; vespereque pervenimus Ferrariam, dimidia ferè hora, post-  
 quam Imperator advenerat. Ea ipsa die adiit nos Guarinus noster cum plerisque de suo ludo  
 studiosis. Conati sumus alloqui amicos, & Vgucionem imprimis, qui secundo loco post  
 Principem erat; sed ipsa die non licuit. Sequenti die domum illius adivimus, causas ad-  
 ventus nostri exponentes, & ut ipse captaret horam, qua Regem alloqui possemus com-  
 modius, orantes. Benignè suscepti, pollicitus est; facturum omnia, ut veti nostri com-  
 potes essemus. B. unorum, virum magnificum, & quo apud Cæsarem nullus plus posset, al-  
 loquuti, Vgucione agente, eo ipso duce Imperatorem adivimus, humaniterque accepti, cum  
 diutius eum alloquendi copiam Legati Venetorum, qui eodem ferè momento super-  
 venerant, ademissent, ipso nobis Rege benignè innuente, ut rediremus, velle enim,  
 nobiscum colloqui; discessimus, postridiè manè redituri. Vidimus majorem Eccle-  
 siam, ubi amicum veterem invenimus modulandi peritissimum de Foro-Limii, à quo &

aliis

45  
alio plerisque ad nostrum hospitium deducti, Episcopum quoque nostrum Signiensem  
ad nos visendos properantem, sumus amplexi. Mane summo profecti ad palatium,  
cum pro foribus Imperatoris prætolarem exitum, admitti intus, gratissime accep-  
sumus, & post salutationis verba solennia, causam advenus nostri exposuimus.  
*Nos scilicet visitandi tantum gratia venisse Florentia. Adiecit, Religionis nostra pri-  
mordia, per que non indignos esse qui audiremur, sub Imperatorum semper tutela fuisse,  
cuius rei aperta essent iudicia privilegia latissima nobis indulta cum à ceteris Augustis,  
tum imprimis ab ipsius Patre, pia & augusta memoria, Carolo: productumque privile-  
gium illi in conspectum dedimus. Acceptum ille in manibus, sua sponte, se confirmare,  
velle, asseveravit, & Cancellario adstanti tradidit. Addidimus; nos ex debito officij no-  
stri, Auctorem fautoremque nostrum in Italia possum videri, quem, & in remotioribus  
constitutum, visitare debuimus: & cum solenne esset, munera afferri Patronis; nos ex  
instinctu nostro inopes, quibus neque aurum esset neque argentum, munusculum congruum  
& religioni nostra & pie aii sua, Vitam scilicet Chrysostomi, à nobis ex Græco tradu-  
ctam, attulisse; prolatumque libellum ipsius imposuimus manibus orantes: ut hunc be-  
nigne susciperet; quodque sponte fuerat pollicitus, exhiberet, Patrique confirmaret gratis  
privilegia. Ita ferme Orationis capita fuisse; quam postea scriptam, cum legisset Aña filia  
nostra, sibi detinuit. Accepit munusculum grato animo humanissimus Princeps, clemen-  
terque allocutus diutius, à se bona cum gratia dimisit; multum exhortatus, ut ad Conci-  
lium, quod ipse tendebat, vel mitteremus, vel certe ipsi pergeremus. Profecti Principem  
sumus euntem ad Ecclesiam; ibique Missarum solennia secum audivimus. Ipsa die reversi  
ad palatium; Imperatorem, ut vale illi faceremus, optavimus alloqui. Albertum Proto-  
notarium ex nobili familia Civitatis nostræ, amicissimum nostrum, & alium item Protono-  
tarium Cardinalis Visini salutavimus; negotiumque nostrum conficiendum Leonardo Flo-  
rentino, Cubiculario Regis commendavimus. Et cum obstarent plurima, nè, quod cupie-  
bamus, efficere in præsentiarum possemus; decrevimus die sequenti inde proficisci, ut redi-  
meremus tempus, & impensæ parceremus. Itaque XII. mensis proficisci paravimus. Iam  
ascenderamus equos, cum sævus rumor aures perculit nostras: COSMVM scilicet nostrum  
Florentia extorem agi edicto publico. Monstro simile id visum, cum antè profectio-  
nostram ipsum & in palatio Dominis congregari familiarissimè vidissemus, & ex LAVREN-  
TIO nostro nihil ejusmodi percepissemus. Bononiam itaque contendere maturatè curavi-  
mus, ut veritatem certius indagare possemus. Divertimus itaque ad Monasterium nostrum  
S. Damiani, ibique Ioanne Corbizo, cive nostro advocato; vera esse, quæ fuerant allata,  
cognovimus; neque de COSMO solum, sed de LAVRENTIO quoque fratre ita fuisse  
decretum accepimus; nisi quod COSMVS triennium, LAVRENTIVS verò annum  
exulabat. Concidimus animo, non tantum amicissimorum hominum casum (licet is mul-  
tum ugeret), quantum nobilissimæ Civitatis & patriæ florentis occasum miserati. Ani-  
madvertebamus veluti ex specula celsiore vastitatem imminentem patriæ; neque, ut dolore  
temperaremus, à nobis ipsis impetrare poteramus. Et quoniam res ambigua erat hacten-  
tè; oravimus Ioannem memoratum, ut nos redderet per singula certiores. Adjectum ma-  
lum, & terminum prorogatum, ex eo ipso cognovimus. Et quoniam LAVRENTIVS  
inde transiturus brevi sperabatur, adventum amantissimi filii expectare perteximus, ut  
abeuntem salutare, & prosequi lachrymis, ex officio nostro possemus. COSMVM enim  
detineri clausum Florentiæ, fama erat. Itaque XIII. postquam eo adveneramus, die, vespere  
jà propinquante, LAVRENTIVS appulit solus ferrè. Adivinimus illum noctis jàm in-  
cumbentibus tenebris. Venientes ad se, & de casu suo merentes, consolari vir magnani-  
mus cepit: *Non sibi soli, sed alijs, ante se, plurimis hoc ipsum accidisse, nos admonens,  
ut bene de civitatibus meri i exules agerentur.* Ità nos, examinatos ferrè, animavit. Ut  
Deo uberes gratias ageremus, quod illi talem inspirare animum dignatus esset. Profectisse  
enim ex hac vexatione satis, & ipse fatebatur, & nos facile animadvertimus. Oravit: *ut  
Florentiam pergeremus, fratrique, ubi commodè possemus, opem ferremus.* Instituvimus  
& quidem præter sententiam nostram (ed enim proficisci neququam voveramus; nè feda  
rerum facie offunderemur, nè orbatam optimis civibus patriam videre cogeremur) illius  
moni-*

42

monitis obsequi, Florentiamq; petere continuè intendimus. Reliqueramus Hieronymum nostrum fermè integrum, sanumq; inventuros putabamus; cum repente nuntius allatus majore nos sollicitudine cumulavit: deterius enim habere comperimus, quàm cum inde proficisceremur. Biduum in nostro Monasterio remorati; cum Abbatem nostrum de Carceribus Basileam ivisse pro comperto haberemus, Vicarium nostrum in illis partibus Patrem nostrum Abbatem S. Michaelis instituvimus, gesturum in omnibus vices nostras; manug; propria conscriptas literas misimus, privatis cum literis, orantes, ut laborem hunc sumere dignaretur. Et quoniam negotia consummandi privilegij liqueramus infecta; consilium fuit, mittere Priorem S. Damiani, qui sollicitaret rem ipsam. Mantuam itaque mittere satius putavimus, quòd illic Imperator iturus communi consensu omnium diceretur. Antè verò, quàm Ferratia proficisceremur, allocuti Iacobum Ziliolam, eo suadente, Principem civitatis visitare institueramus; Eaque ipsa die, cum aliquandiu expectavissimus, eum postea in palatio sumus allocuti, filiumque illius Leonellum, gratissimèque accepti fueramus, Literas itaque ad Imperatorem ipsum, & ad Victorinum nostrum scripsimus, Prioremque dimissimus sequenti, postea quàm Bononiam adveneramus, die. Didicimus, Priorem S. Matthiæ contra præcepta nostra egisse cum Venetiis, tum Bononiæ. Miserat enim, qui Monasterii S. Mariæ de Angelis sequestraret fructus; sed, quòd penderet appellatio, re infecta ille redierat. Literis itè Monachi Antonii, querimoniarum plenis, exercere tyrannidem in Monasterio audiveramus. Moti indignitate rei, scripsimus Abbati nostro literas, cujus illum correctioni per omnia subjeceramus; ut admoneret hominem, præciperetque illi, nè de negotio illius Monasterij, absque nostra permissione, contra Priorem ipsius Monasterii aliquid agere auderet, sub excommunicationis pæna, quam ipso incurreret facto, & à qua, nisi à nobis, non posset absolvi. Duos ex Monachis Prioris ipsius corripuimus, eo præsentè in Monasterio nostro S. Christinæ, quòd ludere assidue ferrentur ludos paupum honestos. Inhibuimus sæpius nè ad Monasterium ipsum ulla ratione ire præsumerent; Ancillisque Christi, nè venientes susciperent, præcepimus. Magna fuit per eos dies illarum instantia, ut sibi permitteretur, ex more, parentum adire domos. Obluctantes, id tandem consensimus; ut quoties opus fuisset per biennium, semel ire, Matre permittente, cum alterius Prælati licentia, possent. Priori S. Damiani permiseramus, ut bona quædam Monasterii vendare posset, convertenda in evidentem Monasterii sui utilitatem. Abbati itè nostro S. Michaelis, hoc ipsum permiseramus Venetiis. Confirmatis itaque Ancillis Christi exhortatione salutari, eisque valefacientes, xvi. Septembris inde discessimus. Offendimus extrà portam civitatis Mattheum de Bardis, Florentiam tendentem; sociumque itineris gratè amplexi, ceptum iter profecti sumus, biduòque Florentiam venimus, Hieronymum fratrem gravior solito morbus premebat. Fuerat ejus cura permissa nostro Paulo fidelissimo Medico, nihilque profecto ille unquam omisit diligentia. Recidisse ferebatur in morbum, anteriore graviores. Et quidè jam tunc pullavit animum, nullum dita suspicio; neque poteramus conquescere, dùm tristem rerum faciem versaremus animo. Ferebamur varii, neque tamen, nisi mæsta, occurrebant. Exceperunt nos molestiæ variegatæ, atque multiplices, ut quòd nos vertere possemus, ubi quietis aliquid inveniremus, omnino non esset. Salutatis Fratribus nostris, quia jam vespere perveneramus, manè sequentis diei Præsules Civitatis adivimus; bonaque cum gratia admisi, servata in oratione modestia, & dignitatis illorum ratione habita: *Nihil consilia damnantes, quòd huic homines pellendos Civitate statuissent; sed affectum solummodo miserationis præferentes, quòd amicissimos nostros, & de Repub. ut putabamus, optime meritos, tam tristis casus excepisset. Neque mirari prudentiam illorum debere, nos in coniunctissimis id hominibus pati, quòd in extraneis quoque, & à nostra familiaritate alienis, humanitatis ratione pateremur. Miserati fortuna variam mutationem, ut qui paulò antè fuissent potentissimi & opulentissimi, omni que gloria splendore conspicui; hi subitò (quòd gravissimum omnium atque acerbissimum est) excidissent paria, gloria, omni ac dignitate facultatèque nudati. Commendare deinceps COSMVM ipsum perreximus, orantes, ut qui se totum illorum auctoritati permisisset, imperioque parere vellet, eum liberum à custodia iniuria, quò decreverant, ire innocuum paterentur: Consulerent gloria sua, miseriamque*

hominis miserarentur; neque sinerent, ut per hanc eius custodiam, qua plena erat curarum & molestiarum, vel inuis maceraretur sollicitudine maiore, vel periculum decobtionis incurreret. Excusare demum, quod profectioem ad Imperatorem nostram illis non significassemus ea ratione, quod electis iam Legatis, qui eò proficiscerentur, superfluum id minimèque necessarium arbitrati essemus. Accepisse tamen Ferraria, grandem admirationem sublimium virorum, & amicissimorum Civitatis; agreferentium, cur Legatos illi ad Imperatorem intrà Italiam constitutum non mitterent, ad quem omnium civitatum concurrerent Legationes. Postremo, orare, ut COSMVM ipsum visere, & alloqui consolandi gratia permitteremur. Grate accepta fuit oratio nostra; benignamque responsum retulimus: Nequaquam agreferre Magistratum summum, immo & cum gratia suscipere affectum miserationis nostræ; quippe cum ipsos quoque Virorum misereret: quando tamen meliore ratione Civitas ita statisset, ferendum equanimiter. Se, COSMVM liberandi, habituros rationem. Profectionem ad Imperatorem nostram si prescissent, nobis quadam inuncturo; ipsius Maiestati exponenda Civitatis nomine, iam tamen constituisse, qui pergerent, Legatione functuri. COSMVM verò alloqui, & grate quidem, permisere. Interea dum expectamus, privatos etiam ex civibus quosdam, amicis nostris infestos, nobis verò amicissimos allocuti intra palatium, emollire illorum animos conati sumus, atque ad misericordiam flectere. Bona ex omnibus verba retulimus. Vbi verò COSMVM ipsum vidimus ita servari, maximo quidem dolore commoti sumus, & præsentem rerum faciem, & præteritam fortunam volventes animo. Temperavimus tamen à lachrymis, quantum potuimus. Verùm tantam in illo offendimus magnitudinem animi; tantum & præteritæ fortunæ suæ totiusque mundanæ gloriæ contemptum, ut majorem certè non desideraverimus. Idem cultus; eadem oris dignitas, eadem gratia perseverabat: ut miserari potius afflictam Civitatem, quam suas reputare injurias videretur. Denique, post longum nostrum sermonem, qui consolaturi adveneramus, consolationis plurimum cepimus; jamque magis miserati Civitatem sumus, quæ hujusmodi homines tam fortes, adèd magnanimos & constantes, tantæque in patriam pietatis, amitteret; à quibus servata sapientis Civitas ipsa fuisset. Vale illi itaque facientes, nihilò segnius operi cepto incubuimus. Accendebant studia nostra amicorum preces, qui ad nos omni ex parte confluentes, miro affectu & propensiore cura negotium nobis commendabant. Se, utpotè suspectos factionis, periculosius loqui pro illis posse; nos ratione habitus ac religionis & amicitiae, profuturos plurimum assiduitate nostra. Idipsum & Hieronymus frater meus impendit postulabat. Cujus languor varius, neque unquam in eodem statu constans, inter spem & desperationem agebat medios, ut sine sollicitudine & metu essemus nunquam. Vbi verò Venetorum Legati advenerunt (nanquè, affuturos continuo, ex COSMO ipso quoque facti eramus certiores), illos, amicis quoque urgentibus, protinus adivimus; negotiumque, quanta cura & diligentia licuit, commendavimus, instructioresque reddidimus. Gratissimè admittenda fuere verba nostra; nanquè erant amicissimi, & ad negotii, pro quo venerant, maturam executionem conducebant. Itaque plenos bonæ spei ab se dimisere. Voluimus alloqui & Raynaldum Albizum, equitem Florentinum, nobis iustis ex causis amicum, COSMO verò ultrà omnes infestum. Conspicuum in Curia, & salutatum, nosque benignè resalutantem; affari datum non fuerat. Itaque, captata hora, profecti ad illum sumus, antè quàm se conferret ad Curiam. Accepti comitèr, commendavimus illi, quàm opportunè & commodè licuit negocium amici, maturamque liberationem, ita ut intelligere planè posset, quanto id affectu posceremus, ut non esset vulgaris putanda nostra commendatio. Videbamur enim, jure nostro, quæ vellemus, de illo postulare posse, quia & ille Romæ usus esset opera nostra, & quidem diligenti, in re sua; Pontificemque ipsius causa, cum Senator esset, sumus plusquam semel allocuti, negocia sua illi commendantes. Repulit, ut est ferocioris ingenii, preces nostras; causasque inimicitiarum atrocium professus, minimè probabiles: Quod metuisset, nè hoc ipsum sibi COSMVS faceret; illumque & sapientissimum, & præter omne, quos unquam vidisset, potentissimum, invidiosè testatus fuisse; cuius etiam maiores familiae suæ fuissent infestissimi. Postremam, se auctorem totius cladis contestatus, id inulit: Se contra, quam postulabamus, et egisse & acturum pro viribus; neque COSMVM prius

prius liberandum, quam propinquus eius, confines exilij sibi assignatos, nuntiarent, at-  
 gisse. Tunc, se auctorem futurum, nostri quoque gratia, ut emittatur. Tolerabilius esse;  
 si decoqueret ille, quam Civitas (fuerat enim à nobis facta mentio decoctonis). Venios  
 prestare, si negotijs suis intenderent. Florentinos melius intelligere sua [quam illos civita-  
 tis sua negotia; qui misissent Legatos eius eripiendi gratia. Displicuit mirè amici intempe-  
 rantia, & cum mollioribus verbis mollire concitatum hominem pergeremus, nequicquam  
 laboravimus. Dissimulato itaque dolore discessimus. Adierunt nos Legati Venetorum ut  
 consolarentur expectationem ac sollicitudinem nostram; spem sibi à Magistratu summo da-  
 tam proxime illius ereptionis, confitentes. Perreximus ut uxores quoque amicissimorum  
 hominum afflictas marentesque consolaremur, ex officio nostro; & ut eas cura levaremus,  
 quæ gesta erant nuntiavimus. Concinnata calumnia subornati testis, hominis nequam effe-  
 cerat, ut periculo adjectum esse videretur, adeò ut Venetis, absolutionem viri postulanti-  
 bus. responsum sit: *Injustam confessione delatoris infamiam inquiri primum & purgari*  
*oportere. Eius esse generis crimina, ut liberationem impedirent.* Non destitere Legati,  
 quò ad illis permissum est; nihil severius in eum discernendum. Neque pepercere quin  
 Raynaldo hæc & illa repetenti, quæ nobis antea dixerat, aperte satis insinuarent: *Se com-*  
*menta ista intelligere, Ducique suo scenam omnem detegere paratos.* Id ex eorum postea  
 sermone didicimus. Iam illis paratis ad exitum cum amici omnes trepidi hererent; nos, nè  
 te infecta pergerent, precabamur: sed acceptam illi à Magistratu fidem allegantes, abire  
 perrexerunt. Scripsimus amicis, quos eramus antè allocuti, & Raynaldo ipsi negotium  
 intentè commendantes. Responsum gratè est. Perreximus & secundò Præsules alloqui, ne-  
 gotium que denuò commendare. Grato responso relevati, COSMVM alloqui precariò postu-  
 lavimus. Ex eo certius didicimus, *τα χεῖματα* celerioris ereptionis causam fore; dolentis  
 altius R.P. venalem. Multis verbis hinc inde consumptis, discessimus. Cum, paucis post  
 diebus, Deo miserante, iv. sermè noctis hora dimissus est. Postridè verò quàm profectus  
 ille fuerat, Comites in Celo visus, animos multorum sollicitavit. Egimus gratias Deo,  
 qui & illum aperto periculo & nos perpetua cura sollicitudinèque levavit. Miraculum nos  
 subierat, quoddam de negotio Lucensis Monasterij (quod in profectioe nostra Abbati S. Ze-  
 nonis permiseramus) nihil accepimus, factum ne, an in festum esset. Itaque scripsimus Ab-  
 bati memorato; nullumque responsum accipientes, magis ac magis admirati sumus; ut ser-  
 nè illuc ire decreverimus, nisi fratris obstitisset infirmitas. Accessit ad nos per eos dies  
 Abbas Monasterij Vallis Castri, quem Vicarium constitueramus nostrum. Conquestus fa-  
 miliaritèr est: nos contra illum scripsisse Heremitis. Nos justè commotionis nostræ ratio-  
 nes allegantes, quoddam nihil ille nobis de sua significasset absentia, ut providere negotijs do-  
 mus nostræ possemus: ille in Heremitas crimen intorsit. Quid multa? Pacifico illum à no-  
 bis emisimus peccatore, postulantem; ut ratione futuri Generalis Capituli in Monasterio ce-  
 lebrandi, domum redire permetteremus. Expostulantes, quoddam Bononiæ nos non bene vi-  
 sitasse, dixisse ferebatur; ita placavit, ut diceret; non eis se usum verbis, verum: lenio-  
 res fuisse, quàm crimina quorundam postularent. Personas exquirere pergentibus: Priorem  
 S. Damiani, asseruit, non fuisse punitum pro noverca, quam retinebat domi. Ejus nos  
 objectioni, ita obviavimus, ut diceremus antè omnia nihil nobis de eo crimine fuisse ex-  
 ploratum; nec sic tamen eam ibi reliquisse; immò ab eis avulsam & viò traditam fuisse.  
 Ità à nobis profectus est. Interea Hieronymus frater amantissimus acriore morbo cepit ur-  
 geri. Adhibiti sunt curæ illius & alij plerique Medici; Paulo ipso non modò nihil renuente,  
 verum & approbante multum. Per eos dies literæ à Priore S. Matthiæ ad nos scriptæ, inju-  
 riarum plenæ, ut ei juxtà suam insipientiam responderemus, effecerunt. Eas Abbati nostro,  
 nostris inclusas, literis misimus; ut ejus signaret contumaciam, monentes. Verum, quid  
 egimus? Quasi dolorem nostrum differre aut evitare, alia narrando, pessimus; hæc atque  
 illa colligimus; & quasi scopulum, sequentes luctus nostros, orationis nostræ fragilis cym-  
 ba formidat? Quid diù moramur? Sentiebat dulcissimus frater à nobis quoque commoni-  
 tus, corporis se virtute destitui, neque diutius posse in vita remorari. Et amore Cælesti,  
 atque Christiana pietate flagrans, peccata sua nobis confiteri voluit, nostrisque ex mani-  
 bus, Religionis Sacramenta percipere. Morem fraterno desiderio gessimus; multum affe-

etui reluctantes, magnamque vim, ut lachrymis temperaremus, nobis inferentes. Denique ipsi illum inunximus, ipsi tunc soleantia munera cuncta peregrimus. Et cum, ingravescente morbo, propinquaret ad exitum, interrogatus à nobis; ut se se haberet? Exhilarata facie, & oculis illis puritate mirabili præditis, innuens: bene se habere, respondit. Cùm post 11. ferme horas; me adstante & animam illius solenni prece commendante; Fratribus præsentibus & orantibus, felici forte migravit ad Christum, tanta quiete animi, & eo statu corporis, ut dormienti suaviter, quàm mortuo similior videretur. Flentes Fratres, & præcipuè juniores ab eo educatos, desideriumque illius ferre non valentes; consolari blanda exhortatione, & certa ratione studuimus, atque ad imitationem virtutis accendere. Obiit Nonis Octobris, 111. ferme noctis hora, ætatis anno xxxvi. Composito autem & ex more prolato cadavere; Psalmi, usquè dùm sepulturæ traderetur, nunquàm defuerunt, vicissim sibi succedentibus Fratribus. Mira in facie gratia, mira dignitas perdurabat, omniumque in se rapiebat affectum. Nos, quæ cæperamus fratri reddere, extrema humanitatis officia, cuncta percurrimus. Nanquè & Missarum solennia ipsi celebravimus, & consuetas in eum preces exolvimus, adstantes juxtà pheretrum, & dilecti faciem intuentes absque gemitu & lachrymis, cùm lachrymarentur omnes, & mirarentur, nos siccis perstare oculis: non ignorantes, cujusmodi essemus destituti solatio, quàm forte amisissemus auxilium, quàm fidele consilium; atque idèò maximè nos miserantes, quòd, sentire incommoda nostra, minùs videremur. Cæterùm nos, & juniorum dolori prospicere cupientes, nè ex nostris lachrymis acriùs ingemiscerent; & fidei nostræ atque dignitatis habentes rationem, merorem insitum, quo transfixa erant præcordia nostra, tegere intùs ac premere magna intentione curavimus; ità ut & sepulturæ traderemus, & iremus atque rediremus absque lachrymis. Enituit maximè Sebastiani Abbatis in nos & in defunctum fratrem pietas propè singularis. Nanquè, & amarè illachrymatus est funeri, & nos deserere vel ad punctum temporis, passus non est, nè solitudo merori fomenta suggereret. Ipse, ubiquè consolari, cogitationemque nostram in alia convertere, atque à dolore avocare animum, omni studio & arte conatus est. Constitueramus, ea ipsa die discedere, ut mæstitiæ causas omnes, frequentiamque adeuntium sub consolationis obtentu, vitarem; sed detinuit nos Fratrum, ac Filiorum nostrorum charitas: crudele esse, dicentium, si se tam citò desererem. Minùs, quàm ratio poscebat, in Patre Monasterii charitatis offendimus. Nam, cùm illi causas nostri doloris exprimeremus; Monasteriumq; non præmissi fratris gratia deserturos, adderemus, sed majore etiam, quàm soliti essemus, charitate complexuros; commendaremusque juniores quosque: minùs gratè admisit, quæ dicebamus; frequentioreque nostrum eò accessum formidare visus est. Ejus nos pusillanimitatem blandè corripuimus, & curare perreximus; dolentes ex animo, tantum in illo modestiæ desiderari. Advenerat Florentiam, Abbatissa nostri Monasterii de Prato-veteri, curandæ malæ valetudinis causa. Eam ipsa die (nam in proximo erat Monasterio) visitare curavimus, Abbate nostro comitante. Inde redeuntes, cùm secum ire ad Monasterium suum Sebastianus hortaretur, ibique paucis diebus requiescere; non acquievimus: polliciti, sequenti die illuc proficisci. Noctem illam in Monasterio egimus, certatimque advenientes Fratres consolari studuimus, nostrum semper dissimulantes dolorem. Minè ad Monasterium S. Salvatoris profecti, ipsam diem ibi egimus; Abbate nostro nos, solatii gratia, extrà Civitatem deducente; Monasteriumque, tùm sui, tùm nostri quoque jure, ostendente. Officiosissimum illius animum gratè amplexi, noctem illam ibi requievimus. Postridiè requisiti, ut Pontifici Summo Antonium Arretinum commendarem (petebatur enim ad Episcopatum Arretinum); sumpto prandio, Abbate renitente, discessimus; sequenti die, mane summo, profecturi. Satisfecimus postulantium precibus, literasque ad Pontificem scripsimus. Interfueramus & celebritati Filiorum nostrorum Euphrosyni, & Augustini, cùm primas celebrarent Missas. Accessit ad nos Prior S. Damiani, ab Imperatore rediens, privilegii que afferens confirmationem, ut petieramus, gratis indulgam. Attulit nonnihil solatii angoribus nostris adventus ejus; laudavimusque diligentiam. Mirè tam ipse, quàm cæteri Religionis nostræ homines indolere vices nostras, consolari que studuerunt. Ea ipsa, qua defunctus fuerat, nocte, Bononiæ ac Venetiis significavimus obitum fratris amantissimi, suffragia precum illi postulantes. Quamquam

quam

quàm ea fuit illius vita, sic religiosè, tam piè exacta, ut nihil illi omninò metuamus. Fuerat ab ipso pueritiè limite, ut alter Samuel, enutritus in templo Dei, nihilque hauserat præter sanctimoniam & religiosos mores. His innutritus atque inersatus, ità in Dei famulatu profecerat, ut integerrimus Monachus omnium iudicio haberetur, & fidelis ac prudens servus Domini sui. Nullus in tota vita illum unquam iratum vidit, nunquam tristem. Induerat misericordiæ ac pietatis viscera, ut nullius lapsum absque lachrymis audire posset, nullus non miseretur errores; quantumque in se esset, semetipsum opponeret murum, contrà faciem Damasci pro domo Israel; seque ingereret, occurrens esurienti cum pane, & cum aqua sitienti. Aded verò fuit obediens, ut in illo venerabili Coenobio nullus ulla ætate, consensu omnium, in ea virtute magis eluxerit. Neminem unquam vel levi sermone offendit. Norunt ista, qui nobiscum ibi vixerunt, Fratres; utque, quia caro nostra est, quàm parcè illa attingam, omittamque plurima, testes optimi sunt. Functus est annos plurimos officio Novitios educandi, partim mecum, partim solus, tanta gratia tantaque cura; ut, omnes genuisse, videretur. Mixta erat severitati lenitas mira: ut & Patrem & Nutritium affectu mirabili prosequerentur, & Magistri tamen censuram metuerent. Quid verò de illius puritate & munditia persequare? Elucebat in ore atque oculis virgineus pudor, & veluti per fenestras animæ nitor penetrabat. Nullus (quod pace reliquorum dixerim) illo innocentior, purior, sanctior. Prudentiam illius admirari maximè hi possunt, qui eo familiaritè sunt usi. Nos certè, quantum amiserimus, experimur quotidie, dum ejus consilium desideramus, dum præsidia consueta requirimus. Educatus quidem ille fuerat à nobis (quod sine nostri invidia nominis dictum sit), verùm gloria nos & meritis longè antebat. Didicerat à puero artem pingendi acu, in qua supra omnes ætatis nostræ eminebat. Parva sunt hæc comparatione majorum; cum ingenium excellens nactus esset, expolitumque fatis liberalibus studiis, & literis maximè sacris exercitatum. Verebatur præcordia illius zelus domus Dei, cujus ab infantia decorem, majore semper studio ac intentione, dilexit. Me, miserum atque infelicem, postea quàm scelera mea è quiete Monasterii in occupationum infestum iniecere pelagus, avulsusque sum à formosæ Rachelis complexu, dulcique fratris optimi contubernio privatus; ità miseratus est, ità vices nostras indoluit, ut omnium ferme curarum & cogitationum nostrarum accederet particeps; omnia metueret nobis, etiam quæ tuta esse viderentur. Infidèrat à puero verum in nos & germanum prorsus affectum; verebatur ut patrem, diligebat ut fratrem, fovebat ut filium, paternam sibi sollicitudinem vindicans. Mea penitèntia scelera, ut tanto bono diutius frui non mererer, causa fuerunt. In quo mihi post te, Hieronymè dulcissime, requies? Ad quem aspiciam ultra, destitutus te, dulci solatio & unico meæ vitæ præsidio? Ad quem scribam & effundam æstus omnes cordis mei? Quis me jam consolabitur merentem? Heu miser! Nec jam expectabo literas tuas; jam fraterni amoris indicia referam nulla. Sed alius lamentationi servatur locus. Non tacebimus, quòd illi in extrema illa valetudine contigit. Juvenis ferebatur mederi febribus, easque intrà paucos dies medicamentis amovere. Adhibitus est; pollicitusque iv. diebus incolumem futurum. Cepit illi nescio quid edendum dare, quod videri nollet. Subijt repente suspicio, nè carminibus fortassè uteretur; & cum id simplici illius confessione didicisset, exhorruit; neque passus est, ultra ad se accedere; mori malens, quàm ità liberari. Fidei suæ hoc extremum indicium dedit. Sed ab hoc jam maestiore curriculo desistentes, reliqua enarrare pergamus. Sorori nostræ scripsimus consolatorias literas, cognatumque ad eam misimus; nam ruri morabatur, & de industria, non fuerat evocata ut coram illi sola ministraret. Advenerat ad nos Frater ex Monasterio montis Crucum, nobisque exposuerat; Priorem Monasterii memorati, quæ sibi fuerant injuncta per nos, nequaquam servasse. Ad quæ scripsimus, illius corripientes intemperantiæ; & denuò, quæ fuerat injuncta per nos illi, servanda mandantes. Cupientem proficisci ad Monasteriū Cantiniani Priorem S. Damiani fratremque suum nobis commendantem, bonæ religionis virum, plenum bonæ spei dimisimus à nobis. X. demùm die mensis, Monasterio profecti, Priori & Fratribus valescientes, venimus ad nostrum S. Margaritæ diversorium; ubi, accepti à Priore gratisimè, casus nostros miserante & nos consolante, ea nocte requievimus. Postridiè tempestate dubia moventes, venimus ad Pratum-vetus. Acceperunt nos humanitèr Ancillæ Christi, & de fratris obitu

con-



consolari studuere mærentes. In devia iacideramus ego & Clemens, famulo à nobis longè remoto, & Dominico recto itinere sequente, dorèc à muliere, fortè obvia, itineri sumus restituti. Obvium itèm habueramus Fratrem Martinum, Florentiam cum literis nos adeuntem, quæ nobis sollicitudinem incuterent. Quo Florentiam misso (nam alterius quoque rei causa ibat) accessum nostrum adhuc maturavimus: eam noctem in Monasterio Poplenæ agentes; infirmum enim in diversorio Monasterii Prati-veteris offenderamus Catancum, propinquum unius ex sororibus; admonueramusque, nè ipsa illi assideret in ministerio, sed secularis mulier & gravis adhiberetur. Sequenti die manè rediimus; duas ex his, confiteri volentes, admisimus: horatque omnes, socium inde contendimus; ubi remorati modicè, vindemiam proximæ vineæ inspeximus, & ad nostrum Monasterium contendimus. Multum indoluere nostris casibus omnes magno nos cum gaudio suscipientes. Mariotus aberat; puerique omnes firmè in parentum domos abierant. Adivimus Heremitas nostros, lectisque literis ex Arretio scriptis ad nos, post primos congressus & verba consolatoria de morte fratris, ea tandem sententia omnium fuit; nobis eò maturò pergendum ut negotiis consuleremus nostris. Missus quippè à Pontifice Romano, qui reformaret Cleum collectasque imponi solitas renovaret, sollicitos fecerat; nequid fortè per absentiam rostram fieret in prejudicium nostrum. Itaque protinus ire studuimus. Deduxit eò tendentes aliquandiu, Camerinus noster; ipsaque die xv. mensis Arretium venimus. Et cum aliquantulum diei superesset, visitavimus Monasterium nostrum S. Benedicti; commendantesque fratris animam, & ad benè vivendum hortantes, profecti inde: adire institueramus & visere Apostolicum Legatum; ferebatur enim esse familiaris noster, & conspectum nostrum colloquiumque desiderare. Occurrit fortè euntibus; salutatusque à nobis, & blandè resalutans nos paucis ultrò citroque verbis datis & redditis, dimisit à se ea lege, ut postridiè secum pranderemus. Reversi ad nostrum Monasterium S. Michaelis, comitantibus Prelatis nostris conferre cepimus invicem, quid facto esset opus. Ea tandem fuit sententia; ut postridiè summo manè conveniremus omnes, & singuli, pro captu suo, in ea re quid sentirent, exponere pergerent. Accessit ad nos amicus noster Antonius Rodolphus salutandi causa, cenavitque nobiscum. Adoardus quoque Azarolus nos officiosissimè salutavit. Manè ubi conveneramus, ea sententia fuit, admonendum esse virum, immunitatis nostræ; hortandumque: ut rationibus & calculis Cleri visendis insisteret; ceterum ab imponenda, seu verius innovanda libra abstineret. Peracta omnium SS. celebrata, movimus Monasterio nostro, ii. nonas Novembris, ut in agrum Flaminium contenderemus, Visitationis ceptæ munus exacturi. Ipsa die venimus ad Monasterium nostrum Insulanum; sed, cum emenso fermè itinere perdifficili (nanquè è regione Monasterii rupes alta & præceps eminent, Castellum habens loci situ munitissimum), ipsa declivia & prærupta evicisse gratulareremur; ipso brevi intervallo, ancipiti periculo tentati sumus. Vbi enim ad plana ventum est, duo amnes, è diverso venientes, in vnum coeunt; horum altero transvadato, cum alterum transire auctorum, qui nos pedites antebant, nullus, auderet, quod nimia inundatione præter solitum intumuisent; sequuti duces ipsos, callem arduum & flexuosum, qua pons perebatur, locorum ignari ingressi sumus. Tùm verò plùs quàm antè, nos animus liquit. Nanquè, ubi modicè in eo calle processimus, animadvertimus, possibile non esse, sine aperto periculo, ad summum evadere; quippè in arctissimo, & tortuoso tramite, xv. subinvicem equites scandebamus, & pluvia perpetua effecerat, ut ascentus ille argillæ præberet speciem, cui vix inniti jumenta possent; emensoque tandem colle difficillimo, salu in superiorem planitiem evadendum erat. Quid agendum esset, haud facillè conspici poteramus. Nam neque, retrò redire, faucium angustie illæ permittebant, cum se se fermè jumenta contingerent; neque descendere, fauces ipsæ sinebant. Tandem mutò hortati calcariibus, plùs solito, jumentis concitatis, Deo miserante, scopulum illum prætervæsi sumus; pontemque superato, ad Monasterium venimus. Suscepti ab ipsius Monasterii Abbate, iustravimus omnia ruinasque ingentes miserati sumus. Ipsam noctem ibi egimus. Cum postridiè ex Galiata (ubi pueri quondam educati eramus) adierunt nos plurimi, partim Abbatis ipsius culpantes negligentiam, partim inopiam excusantes. Decrevimus jam tunc Monasterio ipsi aptiorem dare, qui

qui & ingenio & nervis plus valeret. Ea die, amicis comitantibus, ad S. Sophiam; inde Galiatam, die advesperascente, pervenimus. Hospitium in domibus Ecclesie habuimus, suscepti humanissime ab Ecclesie ipsius sacerdote. Convenerunt ad nos amici plures visitandi gratia, multumque humanitatis impenderunt. Acceptis ibi querimoniis contra V. quod sororem, a viri latere ablatam, secum domi haberet; scripsimus ad eum literas, increpantes graviter ipsius nequitiam, & ut uxorem viro restitueret, mandantes. Ibi etiam certiores facti sumus, Abbatem de Morrone fundum pro Fratribus emisse, quod ad nos, fama vulgante, pervenerat. Sequenti die, comitante nos leviro, inde profecti, Civitellam venimus; inde Cluserculum, ubi a Comite Galeoto, antiquo amico nostro, accepti gratissime; ipsa die Ricoum applicuimus. Visitato Ecclesie ipsius Priore; rebusque dispositis, inde postridie movimus, pervenimusque ad Castrum-Carum. Ibi solenni visitatione peracta, ad Forum-Livij tendebamus. Occuparat omnia bellici tumultus metus. Propinquantibus oppido Governatorem civitatis, Episcopum nobis optime cognitum, offendimus, adequitantem muro, & infirmiora munimenta refarcienda, solliciturantem. Cogniti ab eo, atque gratissime accepti, urbem ingressi sumus. Visitare prius instituimus Ancillarum Christi Monasterium; comperimusque rem satis opinione meliorem, Nanque & Monasterium egregie institutum, & majorem Monialium numerum, quam usquam alibi vidimus; licet edificio um aptitudo deesset. Ibi utiliter multa constituimus. Nam & Monasterii Matrem, cum fuisset ab antecessore nostro, sine Conventus electione solenni, ordinata, querelaque facti hujus pervenisset ad nos; eam renuntiare monuimus, aditante Conventu. Electione tamen, ex more, celebrata, singularum votis secretè exploratis, non alia suffragiis omnium electa est. Confirmata a nobis, multum auctoritatis accessit. Moniales ibi tres Monasterii antiqui S. Christinae jam destructi, seorsim ferme viventes, ipsi Monasterio S. S. Ivaloris univimus; ita ut possessionibus applicatis Monasterio, unum ex duobus Monasterium fieret. Inquietam quandam corripuimus; multisque pro tempore, opportunè ordinatis, & Priori Camaldulini, refarciendi Monasterii cura permessa; ad visitandum Priorem Camaldulini accessimus. Dedecus Antecessoris nostri in ipso Monasterio, quod antea perceperamus, puellae secretiore confessione didicimus. Priorem ipsum, hominem diligentissimum, & bene Religiosum, ex ipsa visitatione collegimus. Contra verò Priorem alterum S. Paterniani de Ferraciano, negligentissimum, & ferme secularem; aded ut, anovere hunc, animus fuerit, quod nihil Religionis, præter habitum, nihil religiosæ industriae deprehenderimus; etsi aliàs honestus, & pudicus haberetur. Corruptum acriter, consultò dimisimus; minati, nisi impleret, quæ illi in scriptis mandata dederamus, severitè in illum animadversuros. Et quoniam in domo Monasterii intrà oppidum, juxta alterius Prioris Ecclesiam, morabatur; cum memorato Priore illum esse, ac morari communiter, jussimus. Prius autem, quam eam urbem ingrederemur, adierat nos ex Monasterio S. Matthei Monachus senex, multas contra Priorem ipsius Monasterii querimoniae afferens; & orans, ut periclitanti Monasterio succurreremus. Turbati meliorem nuntio; quid factò opus esset, cogitabamus, bonaque spe relevatum senem, a nobis dimisimus. Visitavimus Governatorem civitatis, amicum nostrum; accepitque humanissime, contulimusque ætus nostros; & an Priorem S. Matthei detinere vellet, si a nobis illuc fuisset evocatus, percontati; ubi pollicitationem ejus, & quidam gratam, accepimus; scripsimus jam dicto Priori literas, mandantes sub gravibus penis; ut se ad ipsam urbem conferret intrà præscriptum diem, criminibus objectis responsurus. Ancillas Christi interdum adivimus, doctrinamque salubri, pro viribus, instruere curavimus, atque ad perseverantiam sancti Instituti animare. Inde, cum proficisci pararemus, prosequuti sunt nos Priores, ambo equites, & Mercurialis, quidam Religiosus amicus noster. Faventiam recto itinere pergere animus erat. Sed cum ad portam, quæ illuc itur, venissemus, egredi nequaquam valuimus, necessariòque ad patentem januam venimus; murum civitatis circumire necessariò coacti, dum ad priorem portam pervenimus; modico illo itinere geminum discrimen incurrimus. Nanque anfractus sequenti, angustum tramitem atque interruptum ingressi sumus. Iumentorum saltu, metum evasisse lætabamur; cum in interiora tendentes, majore periculo ferme exanimati sumus. Sociis nanque inferiora petentibus, & ripæ fluminis adequitantibus, mula nostra recto pergebat.

bat itinere; tūc verò in cæcam foveam cœnque voraginem anteriores injecit pedes. Indè  
 surgere strenuè valens animal, cum vellet, posterioribus pedibus cœno immersis in altera fovee  
 parte in genua procubuit. Anceps urgebat malum; nam si jumento quidè insidere per-  
 stitiffemus, metus erat, nè saltu se indè extricare, mula, contendens, sefforem excuteret:  
 Sin autè descendere maluiffemus, calcaribus panno, quo mulæ sella tegebatur, implica-  
 tis, periculum erat, nè, in ipso conatu mula affurgens, equitem secum traheret pede suspen-  
 sum. Tandè, miserante Deo, ubi strenuè descendimus; mula surrexit, nos nihil læsi fu-  
 mus. Accurrerunt socij, metum pallore testantes, & postèa quàm illafos videre, mirati  
 sunt, Deoque gratias in commune egimus. Consilio Prioris nostri, mutato proposito, ad  
 Castrum Carum divertimus; Faventiam indè petituri, quòd jam capto itinere haud qua-  
 quàm tuto ire posse videbatur, ob palantes milites, quibus nè prædæ effemus, modicè  
 de curriculo divertimus. Noctem illam cum Hieronymo egimus; à quo, postridiè, de-  
 ducti, Faventiam venimus. Illic nos mæstiffimus excepit nuntius. Eustachium Abbatem  
 Vallis-Castri, cum quo nobis cariffima conjunctio fuerat, migrasse ad Dominum, literis  
 ex Fabriano scriptis agnovimus; quibus id nobiscum agebatur, ut electionem de juvene  
 Monacho factam, approbare, & nostra auctoritate confirmare vellemus. Ingens se caligo  
 offudit oculis, & post obitum sanctæ memoriæ Hieronymi fratris, hoc nobis solatium,  
 quod maximum erat, ereptum ingemimus: judicia in nos divina non quidè reprehèn-  
 dentes, sed manum tamen Domini super nos gravem non sine dolore sentientes; solitudi-  
 nemque nostram magis ac magis miserantes. Venerant ad hoc duo; Monachus unus ex  
 Monasterio ipso, laicus alter, ab oppidi ipsius missi Domino. Nos, electionem conditiona-  
 riam nequaquam approbantes (quippè ex Monacho clàm perçeperamus, juvenem illum  
 bonæ quidè indolis, utpotè Abbatis Eustachii alumnum, ea conditione, jubente Domino  
 loci, electum, ut quandò esset requisitus, officio cederet, sibique successor daretur unus  
 ex nepotibus Domini) & scenam itaque cautè celavimus, & quid factò esset opus, cogi-  
 tantes; electionem Monachorum sine nostra, vel Vicarii nostri præsentia contrà Religionis  
 instituta celebratam, abrogavimus, ac jure nostro venerabilem Fratrem Thomam Perusi-  
 num, hominem probatæ vitæ & ætatis legitimæ, Abbatem præfecimus. Datis autè ad Do-  
 minum literis, quibus ætatem electo objiceremus, indignum assentes, tam nobili Religio-  
 nis nostræ Monasterio adolescentulum præfici; simulque orantes, ut electum à nobis digna-  
 retur admittere, quem & matura ætas, & vitæ merita commendarent: Monachos etiam,  
 compescimus literis, quòd contrà formam eligere ausi essent; mandantes, ut quem ipsi  
 Abbatem præfeciffemus, reverentèr exciperent. Literas itè electionis ad memoratum  
 Dominum misimus, per eum Thomæ tradendas; ut vel hoc officio nostro delinitus, gra-  
 tius electioni nostræ consentiret, videreturque autor ipse fuisse, ut hic potiffimum elige-  
 retur. Sed parùm illa nostra diligentia profecimus, ut mòx docebitur. Dimissis à nobis  
 maturè tabellarijs, visitationis munus exequi capimus; accepti magna cum gratia tūc ami-  
 corum, quos ibi frequentes offendimus, tūc Domini civitatis. Monasterium S. Hippolyti  
 primò adivimus, antiquum planè, atque Regulari instituto maximè idoneum; sed ita vel  
 temporum culpa, vel Abbatum negligentia, desolatum, ut ruinæ proximum videatur. Ab-  
 batem ibi solumprehendimus cum duobus pueris, ipsumque infirmum. Omnes ferè  
 Monasterii officinas occupaverant milites. Flevimus miseram conditionem, & sortem no-  
 stram indoluimus, qui ruinas tam nobilis Monasterii cernere cogere; neque remedium  
 ullum possemus adhibere. Coacti sumus in domo amiciffimi ac propinqui nostri Vgo-  
 lini de Villiarana remorari; sed & plerique ex amicis nos exceperere conviyo, & impri-  
 mis Abbatis Silvæ mundæ frater; neque licuit non illis morem gerere. Monasterium Cellæ  
 S. Maglorii postèa adivimus. Obscærus rumor effecerat, ut de instituendo & corrigendo  
 illo cautius cogitarem; quippè & ex matre Domini, et ex plerisque aliis perçeperamus,  
 prostibulum illud esse. Deprehendimus rem opinione etiam deteriore, & indisia pluri-  
 ma, esse vera, quæ dicebantur, arguebant. Quid tamen ageremus, in tanta rerum perple-  
 xitate, nequaquam exploratum habebamus. Neque enim deerant, qui contrà, illas tueren-  
 tur, (& hi quidè non negligendi autores), & exculpere objecta crimina commodè,  
 haud quaquàm poteramus. Itaque Monasterii Maxem decrepitam, & ejus rei gratia,  
 regi-

regimini ac disciplinae Monasterii minimè idonea, amovere, aptioremque sibi substituere, è Monasterio S. Salvatoris accersitam, cogitavimus; sicque, inde proficiscentes, mandavimus fieri, delegato negotio Priori Camaldulini. Puellam ibi ex Monasterio alio profectam, sacrari tunc avidè expetebant omnes: nos, opinioni nostræ consulentes, nequaquam acquievimus; ea tamen lege sacrandam permisimus, si, institutam à nobis, Matrem reverentèr admitterent. Visitavimus & S. Io: Baptistæ Monasterium, aptissimum planè ac dignum, ubi Regularis vigeret observantiæ decus. Priorem ibi fermè solum invenimus; præceptisque illi, ex more, traditis, quæ opportuna visa sunt, profecti sumus. Episcopum civitatis adivimus; abque illo officiosè accepti: Monasterium quoque insigne S. Mariæ visitare perreximus; Sepulchrumque Petri Damiani, in antiqua & ornata atque ab illo (ut ferebatur) constructa Basilica, venerati sumus. Codicem illic vetustum, ipsius (ut ferebatur) manu scriptum, in quo omnia Opuscula ejus haberentur in conspectum dedere. Eum nos ad nostrum hospitium tulimus diligentius inspecturi. His diebus, quibus ibi remorati sumus, controversiam veterem, inter Canonicos & Abbatem S. Hippolyti, componere, nequicquam sæpius conati; negotium ipsum Vgolino, amicissimo atque hospiti nostro permisimus. Illic nobis remorantibus, advenit Legatus Venetorum Fridericus Contarenus, vir strenuus, & nobis optimè cognitus. Eum studiosè salutatam perreximus. A quò gratissimè accepti; sermonem habuimus de Priore S. Mathiæ. Hortatus est: *ut negotium exequeremur; licèt, Venetijs id oportere fieri, assereret: quòd, ingrati Veneti, civem suum extrà terminos suos iudicari, admitterent. Suam opem, eò libentius, pollicitus, quòd, se auctorem fuisse, ut promoveretur, asseruit; & egrefferre, non eum sententia, atque existimationi sua respondisse.* Visus est vera profecti; & iam tunc, Venetias iteratò petere, animus fuit. Nè tamen ceptis desisteremus, neu fortassè priores nostræ literæ reddite illi non fuissent; scribere secundò instituimus, mandantes, ut intrà præscriptum diem se conferret ad nos, crimina sibi objecta dilaturus. Et cum tabellarius, qui ferret literas, non esset; ipsi Bononiam petere decrevimus, ut Monasterium S. Eustachij, quòd intrà Imolam est, visitaremus. Movimus inde, sumpto prandio, x. Kl. Decembris; Imolamque profecti, cum abesset Prior, Bononiam die ipsa pervenimus. Ibi postridiè literas, mensarijs mittendas, manè dedimus; ipsoque fermè momento missæ sunt. Egimus S. Martyris Catharinæ solennitatem in nostro Monasterio S. Christinæ. Vicem nostram miseratæ sunt ancillæ Christi; & de obitu fratris optimi, ut antè per literas, ità coràm nos consolari studuerunt, affectu singulari; & nos humanitate præcipua refoverunt. Faventiam redivimus; & nè in reditu quidè; Priorem S. Eustachij invenimus Imolæ. Nocte ipsa remorati in hospitio nostro, multis contra Priorem ipsum acceptis querimonijs, literas conscripsimus ipsi, cum rediret, tradendas; quibus, ut Faventiam veniret, jubebamus. Post biduum fermè, subsequutus est nos: & acriter à nobis increpitus, cum multum excusaret; etatem decrepitam miserati, illum à nobis emisimus, quid fieri vellemus, mandantes. Ravennam ite, visitationis exequendæ causa, constituimus. Tum verdè amicorum fides maximè eluxit. Nanquè nos illud usquè, itineris ignaros, deduxerunt; Vgolino nostro Venetias proficiscente, Legato Faventini Domini. Accepti à Classensis Monasterij Abbate sumus gratissimè; amicisque Faventiam redeuntibus, biduo remorati, Ecclesiam principalem civitatis, licèt maxima vi luti impediti, aliasque itidè Basilicas vidimus. Offendimus rem dignissimam, & in qua eluceret antiquitatis tum magnanimitas, tum diligentia. Nullam fermè usquam (nè Romæ quidè) lætorem aut ornatiorem Basilicam vidimus. Nam præter exteriorem ornatum, qui vel insignis est; vestiunt intus parietem fani varii marmoris sectæ ad lineam crustæ: stant ordine gemino utraque ex parte columnæ ingentes ex marmore: neq; desunt propheticæ per templum tum columellæ, tum tabulæ, ità lucentes, ut speculi in morem imagines referant. Altare argenteum, columnis sex suffultum, Ciborium tegit argenteum itidè, columnis porphyreticis & ophiticis sustentatum. Cingit altare ipsam Chorus ex marmore candido, cujus prominentia capitella argento vestivit antiquitas. Musivum opus interiorem ædem coram tegit, speciosissimum. Sacrarium visere libuit, ac Bibliothecam, quæ ibi singularis esse ferebatur. In altari plurima veteris insignia vidimus, alteram opinione deteriorem longè invenimus, vix enim illi quicquam dignum

memoria, præter unum Cypriani volumen, invenimus; antiquis literis, in quo plurima, quam usquam antea, ipsius opuscula notavimus. Sollicitè, an aliquid librorum scriniis conditum esset, percontati: nihil esse, didicimus, dato in conspectum vetustissimo de Conciliis codice; in quo Niceni Concilii Fidem in membranis purpureis, & aureis literis legimus. Esse intra Ecclesiam locum, qui Chartophylacium diceretur, professi sunt, in quo privilegia plurima juncto inscripta servarentur. Eo cum nos duci avidissimè expeteremus; cultodem abesse, didicimus. Itaque profecti tunc sumus; aliàs redituri, & inspecturi diligentius omnia. Vidimus & Baptisterium, Ecclesie propinquum, antiquo & mirando opere. Transivimus ad contuendum S. Vitalis Martyris templum permirificum, rotundum, & omni genere ornatus insigne. Cingunt ambitum sectæ discoloris marmoris ingentes tabulæ; columnæq; per gysum altissimæ, ex candido & vario marmore, peripatum sustinent, ut nihil admirationi desit. Aram fani fumus vehementer admirati. Nam, cum lapis ipse palmi ferè crassitudinem habeat; quicquid altera ex parte fuerit applicitum, pars altera refert vitri tenuis instar. Nihil minus ibi, quam musivum opus desideratur. *A*ediculam propè fanum vidimus, sepulcra Regum ex marmore candido ingentia, habentem squamatis operculis. Musivum nusquam neq; tenuius, neq; elegantius inspeximus. *C*ircuivimus & Ecclesias alias atque Monasteria, quantum vel pluvia, vel lutum permisit. Salutavimus & civitatis Dominum; & ab eo, atque ab ejus conjugè, muliere & prudente & erudita, gratè accepti sumus. Exegimus amicitie jure, ut hospitale intra urbem, quod à patre Religioni datum primò, postea ablatum fuerat, restituerent nobis. Nihil eunctati; quod postulabamus, exequuti sunt: confecto ipsius donationis instrumento. Nos eis vicissim Salinas Monasterij, quas tenebant, annua pensione confirmavimus. Puel- lam annorum fermè xij., uxoris ex viro altero filiam, evocarunt, quæ præter sexus consuetudinem, & conditionem fortunæ suæ, literatura imbueretur; Grecumq; à nobis alphabetum sibi scribi, postularet. Quod gratè egimus. Paucis ibi peractis diebus; cum, visitationi initium dare, cuperemus, literæ ad nos ex Fabriano scriptæ, ut illuc ire maturarem, impulere. Quippè Dominus oppidi, datum à nobis Abbatem Monasterio Vallis-Castri, quibusdam rationibus renuens, ut eò iremus, vehementer instabat. Nos itaque, nè rem tanti ponderis neglexisse videremur, & officio nostro defuisse; eò perreximus, ea constantia, & ad id obfirmato animo, ut ei, hac in re duntaxat, nunquam cederemus. Itaq; & Domino, & amicis valescentes, Idibus Decembris profecti sumus, Abbate nostro Classense nos deducente, iterque nostrum comitante. Prius verò, quam indè moveremus, Monasterium ipsum Classense, ab urbe diffitum tribus fermè millibus passuum, adieramus; miserati ruinas ingentes, & Ecclesiam maximam, & speciosissimam admirati. Indèque per pineam silvam Monasterij, quæ fermè viii. millibus passuum tenditur, ad Monasterium S. Mariæ in portu contenderamus, à Theodosio, & Placidia Augusta constructum; ubi nihil præter structuram, quod miraremur, invenimus. Dederunt in conspectum vas porphyreticum, speciosum sanè, & quod (stulto errore), unam ex hydrijs esse, dicerent; in quibus aquam in vinum Salvator convertit. Itaque Ravenna, ut diximus, moventes, hora fermè jam iii. per sylvam nostram & per maris litus, Ariminum diei hora xxii. pervenimus; Fabrianum indè perituri. Sed, cum extrà urbem haberemus hospitium; ex militionibus, indè venientibus, certiores facti sumus: Picenum agrum omnes ardere bellis, atque ab hoste vastari. Quippè Franciscus Comes, qui juxta Livii forum, cum adhuc ibi moreremur, instructus militari acie transiverat, cuncta ejus regionis Ecclesie subducta, sibi applicabat. Eo perterriti nuntio, ac rebus certis admoniti; mutato proposito, redire ad Forum-Livii constituimus; Priorem S. Matthie præstolari, vel certe deliberaturi, quid factu esset opus. Postridiè ad Ecclesiam S. Andreæ profecti, Priorem visitavimus, admonitumq; secretius, ad bonam frugem hortati sumus. Adierunt nos illuc exules nostri Bernardus, & alii; quos antè paucos menses partium furor Vrbe unà cum COSMO nostro deturbati multumq; solatii ex congressu nostro ceperunt. Abbas itè S. Juliani, amicissimus noster, vir bonus atque eruditus, nos humanissimè excepit convivio. Indè post biduum profecti, ad castrum, quod Lonzaum dicitur, venimus. Multas ibi contra Abbatem Theonestii querimonias hausimus; orantibus pluribus, atq; Abbate ipso, raris id Monasterium sul-

57

fraganeum est, ut illum amoveremus, aliumque præfereremus. Nos, qui antea quoque huiusmodi pulsati querelis, visitari Abbatem ipsum iusseramus; alterum quidem implere polliciti sumus, ut eum abrogaremus; ceterum institutionem Abbatis ei, cuius interesset, permitturos, asseruimus. Quod & fecimus postea. Venimus ipsa die Savinianum; ibique nocte illa quiescentes, visitationis munus exegimus. Abbatem inutilem omnino deprehendimus; jamque tunc animus fuit, providere, ne res penitus rueret. Multa ex Converso didicimus, qui omnia administrabat, quæ providentiam nostram desiderare viderentur. Dominum ferè omnem occuparat militaris manus. Inde postridiè, Abbatè comitante profecti, Cesenam tendebamus. Obvios habuimus, cum propinquarem oppido, Vicarium nostrum, & Priorem Arcus. Ingressi civitatem, divertimus ad Religionis hospitium. Ibi postquam ex Vicario, quidnam asserret, accepimus; convenientiæque respondimus; causas adventus sui à Priore percunctati, eas ex amicorum literis (quarum grandem fascem tulerat) animadvertimus, poscentium: ut Hereinum ad Vivum, Priore suo destitutum, sibi conferremus. Præclarum illi testimonium non modò literæ absentium, verùm præsentibus quoque Prælati vel sex, reddiderunt. Eorum auctoritati cedendum arbitrati; quod petebat, impendimus: instructumque diligentèr, à nobis emisimus. Concurserunt ad nos amici, salutandi studio, humaniterque ab omnibus accepti sumus. Visitavimus Augustinum Patrem, veterem amicum nostrum, civitatis Episcopus, blandèque habiti ab illo sumus. Britonorum indè sequenti die contendimus, visitandi studio. Peracta inquisitione solenni, acriter Abbatem corripuimus, quòd plures & graves querelæ contra illum nobis propositæ fuerant. Abbas autè Classensis, qui per eos dies nobis comes individuus fuerat, indè profectus est cum gratia nostra, ut festivitatem propinquam Dominicæ Nativitatis in Monasterio suo celebraret, ea conditione, ut post exactam solennitatem, Fabrianum concederet cum nostris ad Dominum literis, acerbis quidem, & quæ rationabiliter exoptularent, cur, datum à nobis Monasterio Abbatem renuisset admittere, objectaque illius omnia refellerent, & magnam constantiam testarentur, postulantes postremò, ut electionem nostram prævalere permitteret; idque Abbati in mandatis dantes, ne, alium assumi, annueret. Profectum à nobis, è vestigio fermè subsequenti, ad Forum Livij ipsi contendimus, Dominicam Nativitatem ibi peracturi, X. Kalendas Ianuarij. Vbi illuc venimus, literæ nobis & ex Ravenna & ex Venetiis redditæ, significarunt, Priorem S. Matthiæ præceptis nostris obtemperare noluisse atque ad Protectorem Religionis nostræ, qui in Concilio agebat, à nostra citatione appellasse; ejusque citationis exemplar ad nos misit Abbas noster S. Michaelis, orans atque obsecrans: ut eò maturè pergeremus, alioquin Monasterii nobilissimi desolationem sequuturam. Eam appellationem & Ravennam miserat, & publicari majori in Ecclesia fecerat. Nos, rei indignitate commoti. Governatorem civitatis adivimus salutandi gratia, simul ut & consilium expeteremus. Verùm summus in urbe motus effecerat, ut minus otiosum reperiremus, neque fas fuit, quidquam illi rerum nostrarum nuntiare. Ignari licèt, quid tunc esset futurum, ex perturbata rerum facie collegimus, maximam futuram novitatem; multumque illius indoluimus vicem, quòd expositum periculo jam tunc videre videremur: neque dissimulavimus quin, adstanti cuidam ex amicis, perturbationem nostram aperiremus. Peracta verò Dominica Nativitate, cum postridiè, videlicèt, vii. Kalendas Ianuarij in Monasterio S. Salvatoris manè essemus; repente ingens tumultus exoritur: & primùm quidem, clamore sublato populari, æra infestius resonant; armataque protinus civitas concurret, vocibus, & telis infesta, Palatium obsident, & Ecclesiæ in perium detrectantes, Dominumque suum, Antonium Ordellatum, conclamantes; Episcopum nostrum, nihil tunc tale suspicantem, invadunt, tenent, vinciunt & de civitate ac civibus optimè meritum, injuria & ludibriis agunt. Expilata omni domestica suppellectili, omnique thesauro asportato; vir ille bonus ad supplicium poscitur, mulieribus ipsis in illius cædem conspirantibus. Ac nisi quorundam minus sevientium, obstisset modestia qui illum alieno habitu indutum duxere medium, nimia bacchantium rabie fermè disceptus interiisset. Liber itaque à furore populari cuidam ex civibus traditur custodiendus, cujus frater, & propinquus Venetiis inclusus tenebatur. Is in Episcopum aliquandiu sævus, mitior postmodum fuit, spe recuperandi fratris illectus. Ferebatur vulgò, Episcopum Urbem Venetiæ tradere voluisse,

eamque causam novarum rerum asserere solam; sed ea planè perquam fallax fuit, nihil in se habens solidæ veritatis, atque idèd, eam refellere, nihil opus est. Sola vulgi mobilitas, & inconstantia, cupiditasque rerum novarum avaritiæ conjuncta, in causa fuit. Paucis post diebus, & arx munitissima, quæ interim Ecclesiæ nomine custodiebatur in ditionem civitatis concessit. Nocte insequente tumultus diem, accitus Antonius ipse, Dominus à populo acclamatus est. Non defuerunt simulata auxilia, Faventino Domino propè murum accedente cum exercitu, sed nihil præter ostentationem armorum inferente. Nullum telum iactum, nullus districtus gladius, nihil bellici operis actum. Deniq; levi nuntio monitus, Faventiam redijt; Nos, metu perterriti, Monasterio prodire in tanta perturbatione rerum, nisi non sumus, nisi Prælatis nostris nos deducantibus, & jumenta nostra secum agentibus. Profecti ad Monasterium Camaldulini, triduum fermè quievimus, nusquam indè progredi, nusquam abire præsumentes. Plena erant terroris omnia; neq; defuit ex nostris, qui factiosus nimium, acclamaret cum populo, atq; unà telis armatus accederet. Eundem postea, scelus consistentem, corripuimus. Adierat nos Vgolinus Abbas, Faventiam petens, ut celebritatem ibi cum fratre, & propinquis ageret. Multa exponentem, opemq; nostram postulantem, bona cum spe dimisimus à nobis. Indè, cum, partim metu perterriti, partim literis moniti, Venetias ire institueremus; prosequuti sunt nostri, & alij pleriq; atq; in Faventinum agrum deduxerunt. Ravennam petere, animus fuerat; ut indè, per litus, Clugiam usq; tenderemus. Verùm, fama tumultus militaris exterriti, Bononiam ire, fatius duximus, neq; Faventiam ingredi voluimus, nè illc dies plurimos detineremur. Oppidum circumire coacti, quàm ingrederemur, declinare nequivimus. Indè tamen maturius nos extricantes, & à nemine cogniti. Imolam ea die perteximus; ibique tumultuantem civitatem offendentes; in nostro Monasterio S. Christinæ remorari, necessariò coacti sumus, fracti & fatigati tum itinere, tum præterito & præsentis metu. Miris nos obsequiis Ancillæ Christi refoverunt, multumque aspectu nostro recreata sunt. Confluxere ad nos amici plurimi; plurimumque solatii mæstis attulerunt. Negotium Monasterii, & controversiam cum cive quodam potentiore, convenere qui componerent, nolter Stephanus Porcius Romanus, & complures alij; nequè tum quicquam actum est, illo partim honesta postulante. Per eos dies Abbas quoque Clafsensis divertit ad nos; quem, ut Venetiis nobis occurreret, hortati, à nobis dimisimus. Bernardus quoque Monachus, nuntium attulit: Priorem Monasterii S. Viti excessisse ex vita; & tam amicorum literis (quas plurimas tulerat) commendatus, quàm per se ipsum orans; multum cunctantes, & juvenis levitatem suspectam habentes, tandem, ut se promoveremus, evicit. Admonitus à nobis est graviter, adjectæque minæ: si delinqueret, nos minimè toleraturos; eum ita dimisimus. Monasterii Matrem, & seniores quasque, ac juniores, simul omnes, & singulas seorsim allocuti; ad *Observationem sancti Instituti, ac præcipuè ad servanda inviolabiliter claustra Monasterij, magno affectu hortati*, nosque illarum precibus commendantes, profecti sumus. Magnam certè amicorum & nobilium in nos charitatem sumus experti. Gasparem nostrum, consilium de nobis flagitantem, ac titubantem in sanctæ Religionis instituto, quod fermè positurus videbatur, Fratrum suorum evicti precibus, confirmare curavimus. Cum tamen allegaret infirmitatem, atque imbecillitatem oculorum, aliâque plura; & ipsum, ut desisteret; & fratres, ut eum dimitterent, hortati sumus. Postea tamen, absentibus nobis, professus est religiosam vitam. Sæcularem itèd, honesti ingenii adolescentem, propositum Religionis arripere cupientem, admotis fomentis animavimus; patre illius bono viro admonito; nè illi (unico licèt), impedimento esset, religiosum propositum arripere cupienti. Quod & factum est. Et ex Ravenna, & ex Foro-Livii, & ex locis serè omnibus scripsimus Fratribus nostris, Augustinòque Filio nostro imprimis, & amicis reliquis, exponentes nostra omnia. Bononia movimus II. Non: Ian: comitante nobiscum & Priore nostro Angelorum; triduoque, ad nostrum Monasterium de Vangadicia, venimus. Suscepti gratè ab ipsius Monasterii Abbate, modicè ibi quievimus. Indè ad Carceres euntibus occurrit Paulus Parentinus, Bernardi illius cognatus, quem S. Viti Priorem constitueramus; magnas referens gratias, multumq; deferens nobis. Venerat vir ipse, Bernardi comes, Britonorum usquè, ut nos reperiret; sed cum officio suo, quod præcipuum erat Venetiis, diutius abesse

non posset, remearet. Nos illum gratissimè vidimus; eoque presente, Priorem admonimus, ut religiosè se haberet. Scripserat nobis Abbas ipse de Carceribus, orans: nè cuiquam, & huic maximè, Monasterium ipsum conferremus. Sed priùs ille ad nos venerat, quàm Abbatis literæ nobis redderentur; neque tamen, ei obsequi, tum animus fuit. Monasterium insupèr S. Michaelis de Heremo, Abbate suo destitutum, ut Nicolao ipsius Monacho tunc conferremus, obtinuit. Salutatis pueris nostris Vincentiam paritèr profecti sumus. Et quoniàm defuncti res, Episcopo maximè agente & Abbate de Carceribus, penès laicū depositæ fuerant (quarū tamen indicè tenebamus), aberatq; tunc civis ipse: placuit, primò visitare Episcopū civitatis, permissa nostro Abbati Dominico cura, tradendæ Priori memorato pacificæ possessionis. Accepti ab Episcopo humanè sermonè in multā horā produximus. Libros quosdā vita functi Prioris, quos habebat penès se, consignavit nobis. Testamentū Prior ipse fecerat, frustra. Exegit à nobis Episcopus ipse, ut mutam defuncti Prioris sibi mutud daremus ad Concilium proficiscenti; quod & libentissimè fecimus. Constitutis tunc rebus, Patavium profecti sumus; Paulo nostro nos nusquam deserente. Divertere extrā oppidum ad nostrum Monasterium, animus fuit. Sed cū, eò profecti, neminem invenissemus; urbem ingredi, atque ad domum nostri Abbatis divertere, coacti sumus. Paulus, valesaciens nobis, Venetias contendit, cū priùs exegisset: ut, quo die ipsi pergeremus, occurreret nobis. Patavii paucos dies remorari, consilium fuit. Quia enim Prior ipse, cujus causa proficiscebamur, Protectorem appellarat; Iurisperitos consulere, necessarium existimavimus; nè res ipsa carere fundamento videretur, sed dignè loco nostro, & secundūm jura procederet. Adijt nos illic Prior Orbisii, opemque nostram contrā Abbatem S. Nicolai in littore, molestum nimis exactorem, implorabat. Quippè vel ad Concilium pergere, vel pecuniarum certam summam, proficiscentibus usui futuram, solvere compellebatur. Abbatem memoratum convenimus literis, utque, pauperi non valenti, molestus esse desineret, amicè exegimus. Literæ ad nos ex Tarvisio allatæ, sollicitarunt animum nostrum; Monasterii Matre multa conquerente, & quædam postulante. Priorem memoratum eò constituimus mittere, vice nostra perfuncturum; eumque Cancellario civitatis, amicissimo nostro commendavimus. Prior itē Monasterii, quod extrā oppidum est, ad nos profectus; ut eò diverteremus, oravit; fecimusque satis votis ejus. Adijt nos illuc Abbas Classensis, qui ex condicte Venetias concesserat. Vbi, civem illum Vincentiam redisse, comperimus; Abbatem nostrum de Rotis, & Priorem S. Mariæ de Angelis misimus, qui res ipsas inspicerent, atque ad indicem conferrent. Sed inanis fuit illa profectio, cive illo multa allegante; Priorēque ipso (quantum conijcere potuimus) non simpliciter nec purè incedente, negotio infecto rediere. Consulimus Paulum quendam Iurisperitum, juvenem quidē, sed planè eruditum, bonumque virum, & nostris imprimis officijs deditum. Inspectis ille Constitutionibus nostris, quibus cavetur quidē; ut à Patre Religionis ad Protectorem appellare liceat, siquis præter debitum, aut contrā formam se gravari arbitretur; & verbo primūm, & postea scripto etiam respondit: huiusmodi appellationem & irritam & nullam esse, neque memorato Priori quicquam adversus nostram auctoritatem optulari, immò & obesse, contumaci, plurimūm; graviorēq; censura ipsius gratia plestendum. Venetias itaque, iii. postquàm eò veneramus, concessimus die; portantesque nobiscum Attici Pomponij Vitam, ab Hermolao nostro Barbaro acceptam, cum quibusdam aliis navigantes, conscribere cepimus, Nicolao nostro mittendam. Vbi verò propinquavimus, occurrit nobis Paulus Parentinus, atque in suam acceptos navim ad nostrum Monasterium S. Michaelis cum honore deduxit. Occurrit nobis Abbas noster festivus & lætus, atque cum omni Congregatione reverentèr excepit. Priorem Angelorum ex Patavio Bononiam remisseramus, multum se ac negotium suum, quod cum memorato Priore S. Matthiæ illi erat commendantem nobis: cui Decretales, ex Vincentini Prioris spoliis, postulanti ad Monachi Io: usum, libentissimè indulsimus; Abbati nostro de Rotis Breviarium & libellum alium permittentes. Vbi consilia nostra cum Abbate contulimus, animadvertimus, opinione à nobis dissidere; quasi possibile non esset, in Priorem triste, aliquid decernere, propter appellationem interpositam, propter consanguineos nobiles, & alia plurima, quæ longum esset retexere, nobis non satis probabilia. Suadebat; ut ad Monasterium aliud Ordinis, sive extrā Ordinem transferretur: rem esse in presentiarum factu



dificillimam; dilationem intercessuram necessariò: ipsum; ex præcepto Ducis, ad Concilium oportere proficisci. Expostulare ipse non modicè, quòd Monasterium S. Michaelis, quòd alteri ipse promiserat; instante & petente Abbate de Carceribus, nos alteri dedissemus. Vicarii se officio perfunctum, misisse Vincentiam, & à memorato Abbate præventum, non potuisse munus initum exequi. Postremò, nolle vicem famuli implere; ut absente Abbate de Carceribus, Vicarius esset; præsentè, vacaret. Conciderunt brachia quidè, atque primò: *neque nobis displicere, diximus, ut Priori aliud daretur Monasterium: facturos omnia, polliciti, dùm assequeretur, quòd vellet, si ad hoc intentionem ille dirigeret. Monasterium autè illud idcirco contulisse alteri, quia nobis nequaquam voluntas eius explorata antea fuisset: Alioquin, facile ac libenter illi concessuros. De officio sibi à nobis indulto Vicarij, quandoquidè eius gravis controversia exorta esset, deliberaturos; & omnia acturos, qua ad laudem Dei, & consolationem suam pertinerent, quantum Dominus donare dignaretur.* Adire Ducem primò sententia fuit, ut ejus ope negotia nostra profèqui felicìus possemus; sed, nescimus quo pacto, impediti, Episcopum civitatis, Laurentium Iustinianum, virum Sanctum atque integrum nobisque carissimum, visitare perreximus. Accepti latissimè, protectionis nostræ exposuimus rationem, consilium flagitantes. Adhiberi placuit Vicarium suum, turisperitum, ut consultarem. Fuit ea tùm vtriusque sententia: Priorem esse coercendum; appellationemque illam suam nihil sibi suffragari. Consilium Pauli nobiscum Paravio allatum, ipsi Vicario dedimus inspiciendum. Adierunt nos illuc amicissimi nostri COSMVS atque LAVRENTIVS, quos Vrbe pulsos supra memoravimus; obortisque lachrymis, in mutuos amplexus effusi, confedimus, sermonemque protraximus diù, dùm aspectu mutuo atque colloquio exsatiari non possemus. Tùm verò plùs, quàm antea, sapientiam virorum admirati sumus atque constantiam. Nihil antiquæ dignitatis, nihil prioris in patriam benevolentia posuerant: affectus mirabilis ad Civitatem, toto orationis contextu apparebat: non indignè casus suos tulerant: non acerbè suæ dejectionis insectabantur auctores; sed modicè ac lenitè innocentiam pandebant suam veridicam, quàm admistum in se arguerent facinus. Suspirantem patriam, LAVRENTIVM blandè admonuimus; quidnam Bononiæ primùm nobis in congressu mutuo dixisset: *Nihil sibi conficere cetera, non patriam, non opes, si modò germanum recuperare posset. Venetias sibi pro Florentia esse; ubi (volente ac disponente Deo) relegati ptus honoris, quàm unquam in patria, essent consecuti.* Notavimus benevolentiam in eos totius civitatis admirandam, & propè singularem. Nullus, Venetiis natus & nutritus, majore unquam cum dignitate deductus est; ut civitatis principes intelligere quis potuisset. Post prolixum sermonem, amantissimos nostros deduximus, renitentes licèt; ipsique ad Monasterium nostrum remeavimus. Multa cum Abbate nostro conferebamus & spontè & ab eo acciti: fermèque sermo omnis suus nobis erat majoris causa supplicij; dùm, modò in Abbatem alium ut ingratum & ambitiosum invehi, modò ea de nobis postulare videretur, quæ indulgere nequaquam tunc possemus. Expostulavit itè Abbas de Carceribus; cùm ipsum Vicarium, constituissemus? cùm se & Generale Capitulum primò institisset, & nos postea confirmassemus literis nostris. Fregimus illum rationabilitè; nos nihil præter debitum, nihil illo inconsulto (hac in re duntaxat) egisse, memorantes. Quippe, antè quàm ad Concilium pergeret, cùm, de substituendo sibi Vicario, sermo esset ortus, hunc cæteris prætulisset. Non potuisse Vicarium institui, sine literarum nostrarum testimonio: in quibus, si non expressa mentio facta fuisset absentia suæ, parceret nostræ, si non sua verecundia. Neque enim, honestum fuit, neque tutum, Abbatem senem, Patrem ac Magistrum suum, Vicarium sub conditione constituere, qui liberè, se id munus subire nolle, protestatus esset, & quem nonnisi absentes, ut subiret, impulimus precibus. Destitit tunc; sed postea tamen, procuratore fratre suo instituto, apertè protestatus est: nolle se officio abrogari, sibi à Capitulo permissò. Neque id nobis tantùm, verùm & Abbati ipsi. Verùm, ut undè cepit, redeat oratio: triduum fermè Venetiis egimus, antè quàm Prior ipse ad nos iret. Revertentibus nobis ab Episcopo, & Monasterio propinquantibus, ipse, Monasterio egressus, jam navim conscenderat, ad Monasterium suum rediturus. Conspèctis nobis, expalluit; descendensque navì, nos intrà Monasterium sequutus est, seorsùm allocuti, sine testibus: eò nos gratia

sui concessisse, diximus; ut quoniam ad nos vocatus ipse non venerat, nos ad illum proficisceremur. Multa excusantem, cur non venisset, metumque allegantem, quod sibi literis significatum esset: nos cum custodia tradere velle, fregimus rationibus veris, & an vera essent, qua relata fuissent nobis, exploraturos, asseruimus; ac secundum ipsius merita iudicatos, neque passuros, ut Monasterium adeo nobile, pateretur occasum. Appellationem suam allegantem, magna severitate corripuimus; quod stultissimus omnium, huiusmodi presidium occupare delegisset; & quod saluberrime ad relevandos oppressos fuisset institutum, iniustitia patrocinium arbitraretur. Experimento suo, brevi cogniturum: relictè ne, a perperam egisset. Eadem illi postea Abbate nostro presente, repetentes, magnum illi incussimus metum. Vixit ferme dies in ipso Monasterio egimus; cum Abbas ipsa duram Prioris cervicem, ut se liberè permitteret nobis, appellationisque suæ renuntiaret (id quod sibi unicum remedium superesset), inclinare non potuit; nè Io: quidè Sacerdos senior nostri amantissimus, placuit denudè Episcopum nostrum, atque ipsius Vicarium visere. Neque dubium fuit, Priorem quoque ipsum eò concessisse; quod ex eo tunc animadvertimus; quod ipsius Vicarii à priore instituto & rigore relaxata videbatur intentio, eunctabundusque respondit. Et verbis Prioris ipsius, certiores rei ipsius facti postmodum sumus; consultationem Pauli se apud eum vidisse, testari. Placuit Fantinum, virum optimum, amicissimumque invisere uti ejus quoque in re nostra consilio uteremur. Est enim, præter peritiam juris summam, bonus, ac religioso animo & pio. Ei cum, post salutationis verba solennia, singularemque nobis præstitam humanitatem, negotium omne exposuissimus, sententiamque Pauli nostri LC. legisset; eam approbavit, agendumque nobis cum Priore severius censuit: modicè nobiscum exoptulans, quod Vincentino Priore, vita functo, nimium usi essemus lenitè; morique sine poenitentia, permisissimus. Satisfecimus illi rationabiliter; quod, eò profectis, multa ejus merita plerique dixissent; nullusque fermè adversum eum tulisset testimonium. Accedebat, quod tunc, vel simulata infirmitate vel vera vexato, uti inclementius non licuisset. Consilio tantorum virorum rem gerere cupientes, fregit Abbas noster; dum ea nos lactaret spe, Priorem se nobis nostroque permissurum arbitrio. Accessit ad nos illuc & Hieronymus Heremita noster, qui tunc, è Concilio reversus, morabatur in S. Matthiæ Monasterio. Amovere illum ex Heremo, animus erat; quia contra Pontificem Eugenium, & quidè à nobis inhibitus, multa egisset. Susceptus tunc tamen benignè à nobis est; Pontificisque & nostras injurias dissimulavimus, quas ex literis Abbatis nostri de Carceribus didiceramus. Vixit ferme, postquam, eò adveneramus, die nuntius affertur; Priorem, se fugè, velle, committere. Tum verò, non jam ulterius dissimulandum rati, Abbati, non sine commotione, quæ in nostram notitiam venerant, nuntiavimus; & velle experiri, quid facere possemus, adiecimus. Postridie mane summo, inclementiore Cælo, navigio illuc advecti, comitantibus Abbate de Carceribus, & Priore Orbisii, unà cum sociis nostris; Priorem, & omnem Congregationem, convocavimus, adhibito & Io: Sacerdote seniore. Præmissa solenni exhortatione, causam nostri adventus aperuimus; quietoque animo & voce placida: & infamiam ad nos de eo allatam, & literas nomine Conventus missas, susceptasque plurimorum manu, querelasque ingentes exposuimus; quibus commoti, Priorem ipsum ad Forum Livii evocasse, districte præcepto; à qua ille citatione appellasset ad presentiam Protectoris: ostendentesque, ex appellationis forma, frustra fuisse appellatum; Priorem ipsum monuimus blandè, uti appellationi interposita renuntiaret, atque veniam postularet culpe, simulque, ut se permitteret in omnibus arbitrio nostro. Ad hæc ille confurgens; inducias ad deliberandum postulavit. Nos ad hæc: Itæne, mora ad deliberandum, an humiliari Prelato debeas, vedetur necessaria? Siccinè te docuit Religiosum, quod profiteris, institutum; ut, an tibi venia sit errori postulanda, cunctabundus inquiras? An tu non errasti, qui monitis nostris frivola, immò maligna tergiversatione parere neglexeris? Cerè, si nihil deliquisses aliud; vel iniqua ista cunctatio tua, severiore censura punienda erat. Damus tamen recognoscendi spatium; atque monemus, ut salubriter cogites. Dimissa cum Congregatione, ad separatam nobis cellulam concessimus; paulòque post, Priorem non adesse cognovimus. Venetis clam ille secesserat, metu perterritus, ut imploraret amicorum opem;

opem;

opem; quod ex eventu comprobatum est. Redeuntem vesperè, durè increpuimus; cur, irrequisitis nobis, usquàm discessisset? Postridiè convenere plurimi nobiles; causas adventus nostri, & crimina Priori objecta, inquirentes. Aderat cum cæteris Io: Venerius, Prioris propinquus, adolescens parùm moderatus. Eum, in Monasterio S. Michaelis, multa garrientem, rationis pleno responso, reprefferamus priùs; & modò, concilio abesse iussimus, nè clamoribus obtunderet nos: nam fremere jam cæperat. Id etsi molestè ille tulit; ab omnibus tamen approbatum est. Nobilibus illi s gratè respondimus, & quam ob causam adessemus, aperuimus: ut, scilicèt, periclitanti Monasterio, quod eis esset carissimum, opem ferremus. Crimina Priori obiecta, non posse à nobis honestè detegi. Parceret, qui istud postularat, verecundia nostræ; istud nè ab eo quidè licuè inquire. Ceterum quando fieret inquisitio diligens, si causa patrociniū sumere quisquam illorum vellet, aut pro Priore testimonium ferret; gratè ac perlibenter admittendum. Non deerat illuc I. C. vir gravis, qui, unà cum cæteris nobilibus, nostrā constantiam valdè probaret, & eum, qui istud postularat, lenitè corripere. Protrahentibus in multam horam amicū sermonem (delectabat enim nos virorum gravitas, singulari conjuncta comitati), intervenit Marcus Dandulus, unus ex primariis civitatis, homo severus, ac integer. Is ubi, nos, in hoc intendisse animum, vidit, ut de reo inquireremus (fuit ea semper nostra sententia); Priorem ipsum, iussu Ducis, ad Concilium proficisci oportere, ait; & fermè nobis, ulteriore processu, interdixit. Nos ad hæc: Et Ducem & civitatis principes veneri, atque in honore habere, diximus: ceterum istud iniussu summi Magistratus, atq; ipsius imprimis Ducis, nequaquàm gerere. Quippè quibus priore illo adventu nostro, in re ista specialitè, opem suam non desutura n, Dux ipse benevolentissimè, esset pollicitus. Mirari, huiusmodi hominem, certè nulla in re e cellenem, hac tempestate ad Concilium mitti. Non huiusce defensoribus tempus egere. Ad hæc ille cum cæteris lenitè arridens, in sententia perstitit tamen. Toti sermonis nostri ratio, qui rri. fermè horis protractus est, illa fuit: prospiciendum esse Monasterij integritati & conservationi; quod, nobilissimum certè, & ipsi plurimum diligerent, & cui gravissimè afficerentur. Ità Prioris persona ac dignitati consulendum, ut pluri tamen constaret Religionis decus. Nos, huius tantum rei gratia illuc advenisse, ut Monasterio, iam labenti opem ferremus. Facturos id, miserante Deo, si impedimenta de medio fierent. Nempe, si ipsi (quod minime arbitrabamur) obstitissent; Monasterij ruinam sibi imputandam. Orare, uti opem suam potius ferrent, nostramq; iuvarent voluntatem. Superbiā Prioris, nequaquàm tolerandam; qui evocatus à nobis, nulla legitima impediēte causa, ire nolisset; nosque, necessario illuc ire, compulisset; blandèque à nobis ad humilitatem provocatus, deliberandi inducias postulasset; facturos, ut eum facti sui peniteret. Ipsi decernerent: an Religionis Prefecto subditi esset toleranda superbia & contumacia, qui certe in Republica sua pulcherrima & severissima administratione, in contumaces durissimè animadverterent. Postremò nostro labori parcerent, neq; aut irritum, aut infructuosum vellent. Ad hæc illi gratissimè, magnaq; cum gravitate responderunt: propositum nostrum, atq; voluntatem præcipuo affectu venerantes, qui, ut Monasterio succurreremus, quod ipsi summè diligerent, tantum laboris assumere voluissimus. Prioris superbiam, se exhorrescere; qui, vel iniū, nequaquàm nobis paruisset. vel humiliari spontè, oratus, renuisset. Hunc, se verbis ita castigaveros, ut planè posset advertere, se deliquisse. Orare, uti eius misereremur; si, se sponte sua humiliare, nobisque ex toto permittere, vellet. Inquisitionem huiusmodi interim omitteremus, nè in aures secularium Religionis dedecora penetrarent; ne, qui adificari ex nobis debuerunt, scandalum sumerent. Curaveros, ut erratis suis veniam postularet. Ceterum id de nobis precari, ut, si se liberè nostra potestati, omnino abrogata appellatione committeret; in officio Prioris esse permitteremus. Nos, cum, id polliceri, blandè renueremus, è confessu surreximus. Deduxerunt nos viri illi summi humanitate præcipua, nostramque humilitatem ultrà merita summè venerati sunt; & imprimis Marcus ipse Dandulus, facilè civitatis princeps; Iacobus Donatus, & Vrsattus Iustinianus meus. Salutati officiosissimè, Priorem accitum, verbis & contumeliis egerunt; inque illius superbiam acriter invecti, exegerunt; uti nostris per omnia, monitis,

obtemperaret: si cunctari pergeret; quos Patronos habuisset, adversarios & hostes habiturum. His ille territus, & fermè exanimatus; facturum omnia, pollicitus est. Postmodò res deuntes memorati viri, secum adhibuere COSMVM & LAVRENTIVM, amicissimos nostros quibus nihil à nobis denegandum, meritò sperare poterant, & nostris omnino, & exulibus. Victi tandem omnium votis; ità demùm celsimus, ut apertè simus protestati: Priorem ipsum, nihil ex his, qua polliceretur, acturum; penitentiamq; illos postmodò subituram, quòd nos precibus flexerint, neque permiserint, rigore instituto uti. Eum hac ratione penitentem suscipere; ut abrogata solenniter appellatione, postulans veniam, se omnino permitteret nobis; Monasteriiq; dispositionem omnem, causam præterea Bononiensis Monasterii; sententiam, quam adversus Priorem, contumax & iussis nostris non obtemperans, obtinisset in dedecus nostrum, consinderet. Hæc omnia, illis insistentibus, acturum pollicitus est. Volebant viri illi, rem celeritè transigi. Nos ad hæc, rationabiliter excusantes; toto adstante Conventu hæc omnia fieri oportere, respondimus. Neque enim fas esse, publicè admonitum, secretius penitere. Placuit omnibus ratio nostra; sicque, ut fieret, orarunt. Remorati dies aliquot, præstolabamur dùm Prior, quæ admonitus fuerat, exequeretur; cùm propinquorum consiliis immutatus, secretè in dies hæc atque illa moliretur, & verba tumoris plena jactaret. Non itaque, ulterius differre, visum est. Aderant nobis, qui antea sempèr, Abbates nostri. Eis primò adhibitis, quid facto esset opus, agentes; convocata Congregatione omni, Priorem ipsum, tabellione parato: quidnam, tanto intervallo, deliberasset? inquisivimus. Tum ille: se adhuc cogitare velle, respondit. Indignari, quòd tam stultè nobis illuderet; tabellioni, ut cunctum rei ordinem, & nostras inquisitiones, & illius responsiones scriberet iussimus. Objurgantes illius procacitatem, quòd tam licentè, ac petulantè ageret nos. Postulavit, ut modicè permitteretur egredi, consultaturus, & brevi rediturus. Abiit, rediit, positòque genu: veniam, inquit, si extraxi, postulo. Ad hæc nos commoti magis: veniam, si non peccasset, minimè necessariam, diximus, atque ad omnes conversi: quàm pulchrè iste ideoatur, qui nobis, ac si pueris, utitur. Scribe tabellio istius verba. Et nos te ab officio suspendimus; ad Priorem conversi, diximus, excommunicatumque pronuntiamus; Conventuique precipimus, nè tibi in aliquo obaudiat; excipiente tabellione sententiam nostram. Ille; appello, inquit, ad Prætorum; scribe tabellio. Et nos; appellationem istam tuam, ut frivolum & nullam, non admittimus; excipe tabellio. Postea Priore abire iusso, neque usquam Monasterio egredi; Dionysium, qui vice Prioris fungeretur, constituimus. Congregationeque brevi ac necessaria adhortatione hortati sumus, ut orationi insisterent, remque nostram Divinæ pietati commendarent. Dimisso cætu, Leonardum nostrum Iustinianum offendimus, nos præstolantem. Complexi amicissimè hominem, cunctam rei seriem illi exposuimus. Et quoniam agebat in rebus, oravimus, ut impedimentis amotis, nostram juvaret intentionem. Libertissimè opem, atque operam pollicitus suam; ut Venetum ibi Priorem, illo amoto, constitueremus, admonuit, invidiæ declinandæ causa. Die ipsa, consueta in cellula colloquentibus nobis (aderant autem omnes fermè nostri), Ioannes Venerius, quem supra memoravimus, unà cum fratre & aliis quibusdam, repentinus ac turbidus irruit; & importunis clamoribus, manibusque violentis ostia fermè perfregit. Admissus intus, præter injectionem manuum, nullo contumeliæ genere abstinuit; verba in nos plena injuriarum ac dedecoris evomens; &, ubinam esset inclusus Prior, inquirens, quem, custodia detentum, comperisset. Inferere dicta furiosi, proximum videretur insanix; nihil enim ille, quod furenti in buccam veniret, omisit. Nos furibundo illo, & cæteris, qui advenerant, itidè frementibus, amoveri iussis (nam aderant nobiscum plures, nostras injurias ægrè ferentes), pulsus mandari iussimus; nos quidè istiusmodi non mereri contumelias; neque quoniam Veneti non essemus, arbitrari nobis justitiam in civitate justissima denegandam. Injurias nostras Dominio renuntiandas, & vindicari permittendas. Ad hæc illi, metu perterriti, sana tantè mente recepta; ut denudè intromitterentur, orabant. Repulsa hæc illorum postulatio diutissimè est. Admissi tandem vix (nam, se non aliter discessuros, asserabant), provolutisque genibus nostris, veniam sibi à nobis, magna cum humilitate, postularunt. Benigne respondimus; atque remisimus, trepidos tamen. Displicuit omnibus hæc illorum in-

58  
 temperantia. Prior ipse, profectus ad nos, multum excusabat; se auctorem ejus rei non fuisse; displicere sibi plurimum; orare, ut hoc illi non imputaremus. Paucis redditis verbis, abire iussimus. Advenerat per eos dies ad Monasterium Vguccio, vir magnificus, & nobis imprimis carus. Hujus quoque perquisita suffragia sunt. Nam, cum in domo essemus COSMI nostri, misit, qui instantissime Priorem ipsum nobis commendaret; sibi acceptum referendum istud beneficium, asserens. Nos, & LAVRENTIO presente & aliis quibusdam: *veniam dari non posse, nolenti, & renuenti*, respondimus: *facturos cuncta libentissime, dum tanto viro, & optime de nobis merito, morem gereremus; modo ille congrua humilitati consentiret*. Ea ipsa die illuc quoque, adierunt nos amici quos supra memoravimus, qui & in Monasterio quoque ad nos ante convenerant, causam tantæ mutationis & perturbationis, inquirentes. Nos, quid de Priore polliciti eis essemus, admonuimus: facturum, scilicet, nihil ex his, quæ promississet; cunctumque rei gestæ ordinem deinceps aperuimus. Obstupere vesaniam hominis; nihilque jam nobis imputantes, ipsum convitiis castigare pergunt. Nos, inquisitionis negotium prosequi, atque usque ad privationem procedere velle, protestati; ad amicos ideo concesseramus, ut & satisfaceremus officio, uxoribus quoque illorum visitatis ac liberis; & Ducem salutatum iremus, omne illi negotium exposituri, & uti ne Priorem ipsum ad Concilium ire sineret, postulaturi. Interceptum istud officium nostrum est, non alijs, quam amicis, aditum nobis obstruentibus, qui, dum comitari euntes profitentur, introgressi; Ducem occupatissimum audire nos non posse, retulerunt. Redeuntes ad Monasterium adiere, vicissim sibi succedentes, atque impendit postulantes, uti poenitentem Priorem reciperemus, primasque conditiones non renueremus. Victi tædio, ita consensimus: *ut, eos ruina Monasterij auctores fore, protestaremur, qui nos non sinerent, ulcisci in contumacem. Sibi imputarent, si res non bene succederent*. Demum, Congregatione omni adhibita, confitentem crimen, veniamque postulantem, primum ab excommunicationis absolvimus vinculis; & Officiales in Monasterio constituentes principales, ita illi administrationem restituvimus: ingratis id quidem omnibus ferè admittentibus, & se migrare inde velle, asserentibus; id quod fore, nobilibus illis prædixeramus. Egimus ibi Purificationem B. Mariæ; Missarumque solennia celebravimus. Displicuit id factum ferè omnibus nostris; sed, aliter tum fieri non potuisse, confessi sunt, obsistente hinc nobilium instantia, inde Prioris poenitentia, & humilitate, quam tunc solum vidimus, & despiciere nequaquam valuimus; præcipue cum, si converti ad bonam frugem vellet, industriam illi non defuturam sciremus. Alia ex parte indicta sibi ad Concilium profectio urgebat, quam avertere ipsi nequaquam potuimus. Ioannis Venerii dona consultò respicimus (nam magnificè donaverat nos), ne, placati muneribus, sententia decessisse videremur. Magna civium gratulatio, præcipueque nobilium illorum orta est; multumque se debere nobis, fatebantur: vades se sponte offerentes: *Priorem in bonum virum evasurum, & omnia nobis grata peracturum; si quando desisteret, nullos ei futuros infestiores inimicos*. Donis nos plerique prosequuti sunt, & imprimis Marcus Dandulus, vir magnificus & Io: Cornelius. Per eos dies Bernardus quoque Iustinianus, Leonardi nostri filius, egregiæ indolis adolescens, uxorem duxit, & alii plerique nobilium. Complures amici tum veteres, tum novi magno nos affectu susceperunt. Andream Iulianum, veterem amicum nostrum, & ipsum cum filio suo nupèr uxoratum, tunc primum vidimus, abque illo officiosissime accepti sumus. Vitas omnes absolvimus Patavio advectas; ipsasque cum duabus Hieronymi epistolis, ex codice Francisci nostri Barbari sumptas, Florentiam misimus. Priorem ipsum sæpius ac secretius alloquuti, ad bene vivendum hortati; vix unquam bonæ aliquid spei reportavimus, ingenio illius explorato vario & incostanti. Monachos omnes, & præcipue nostram Dionysium, hortati ad perseverantiam, salutaremque tolerantiam; nequicquam studuimus & blanda promissione relevare, cum omnes hunc sibi præfici graviter ferrent. Paulus Parentinus sæpe honestis munusculis nos honoravit. Annulum nostrum, Stephani Porcii donum, innovandum curavimus venustissime. Visitavimus & Thomam Episcopum, ejus liberationi gratulaturi plurimum; acceptique sumus benignissime. Mensem ferè integrum remorati; pridie, quæ inde proficisceremur, adivimus Abbatem nostrum, valescitur. Advenerunt illuc amicissimi nostri COSMVS & LAVRENTIYS, sermonemque diutissime

protraximus, cum ab invicem separari non possemus. Non defuerant ex nostris, qui nobis scriberent; plerisque Florentia existimare, nos eò concessisse, visendorum tantum gratia; ac per id invidiam nobis constatam esse. Respondimus continuo; falsamque opinionem confutavimus: non esse tam leves, admonentes, ut hieme media, asperrimo Celo, eos visum pergeremus, quos animo semper videbamus. Non fuisse falsa, quæ scripta fuerant, reversi postea didicimus: quæ suo tempore reservamus. LAVRENTIO nos seorsum orante; uti exploraremus, si qua spes pateret reditus, amicos à nobis emisimus, flentibus flentes. Abbati cum protectionem nostram aperuissemus, molestissimè tulit, dolens: sibi spatium alloquendi datum non fuisse. Plurima necessario nobiscum conferre oportere. Nos, adventum Pontificis ad nostram Civitatem, qui maturè asfuturus sperabatur, allegantes, cui occurrere ex officio nostro institueramus; hac demum ratione placavimus animum illius. Quid de Vicariatus officio, sibi à nobis collato, fieri vellemus, percontanti; atatemq; excusanti, respondimus: nos quidem cupere, ut iniunctum perageret munus; suo tamen arbitrio totum permittere; sive integrè, sive ex parte officium implere vellet; sive ex toto dimittere. Gratè enim omnia laturos, quæ ille gessisset. Aderat sermonibus nostris & Io: Archipresbyter senex. Is, eo à nobis edito responso, Abbatem intuens: non poterat, inquit, Pater iste noster, neque melius, neque aptius, neque tuæ voluntati convenientius respondere. Abbate ipso hoc ipsum confitente; surreximus. Egit gratias Abbas, quod Prioris verecundiæ consuluissemus. Ei nos vicissim Priorem Monasteriumque commendavimus. Deducti ab eo, cuncta nos Congregatione prosequente, magno affectu sumus; osculatique omnes, & super eos benedictione fusa, nos orationibus eorum commendantes, ad navem descendimus; Abbate ipso illuc usque prosequente, rursusque cum lachrymis amplexante nos ac deosculante. Profecti cum Presbytero nostro, ad S. Matthiæ Monasterium venimus, noctis jam incumbentibus tenebris. Instrumentum totius exacti negotii publicum petebamus. Cum tabellio formam ipsius afferens, legendam nobis dedit. Minus longè, quam oporteret, plenum, repudiavimus. Presbyterique illi (aderant enim) tradentes: quidnam ipse sentiret, inquirebamus. Atque in Priorem acrius investi: cur ad eò perversè ageret; neque, vel poenis admonitus, acquiescere vellet ac resipisceret: sed astu & arte nobis illuderet, quærebamus. Delenda omnia quæ facta essent; remque prioribus terminis restituendam. Ille perterritus, & hæc atque illa allegans; tandem: ut ad nostrum arbitrium corrigeret instrumentum, tabellionem admonuit. Ità demum, compositis rebus, inde discessimus, xiii. Kal. Martias, comitante nobiscum Petro Monasterij Monacho, ut Vincentiam ex Patavio iret. Fuerat enim grandis de rebus præteriti Prioris Vincentini controversia; Priore S. Matthiæ allegante, omnia ad suum pertinere Monasterium, undè ipse illa secum asportasset, qui omnem sui Monasterii substantiam habuisset in manibus; & contra Vincentinis civibus, S. Viti esse, asserentibus. Egerat Prior, ipse, ut literæ à Duce scriberentur Præfecto Vincentino, ut, quæ deposita erant, nulli traderentur; idque postea quàm ipsi jure nostro, depositario mandari, jufferamus: nè res ipsas aliis, quàm nobis, aut cui ipsi juberemus, assignaret. Fuerat demum ista concordia: res omnes, præter libros, Priori loci consignandas; libros Venetias mittendos, futuros apud Abbatem nostrum, donè diffiniretur, cujus essent; credita si qua reperirentur pecuniarum, S. Matthiæ Monasterii esse. Increpitis à nobis (& durè quidem) fuerat Prior ipse; quod gesta per nos, Dominij literis retractare ausus fuisset. Vasa vitrea pulcherrima, Bartholomæi summi opificis, Priorisque munus; & medicamentum zinziber, ac theriacam, falsumque piscem, nobiscum ferebamus. Ipsa die Patavium venimus, divertimusq; ad consuetum hospitium. Postridiè Abbatem nostrum de Rotis cum Petro Monacho & famulo nostro, Vincentiam misimus, perspecturos res ipsas, & libros secum perlaturus. Nos ibi remorati sumus, reditum eorum præstolantes. Hermolaus noster Barbarus nos & adiit officiosissimè & convivio quoque excipere voluit; multaque de suis rebus nobiscum contulit. Redeuntes nostri, libros detulerunt, & quædam ex spoliis defuncti, quæ ingrato Priori fermè extorserant, invito ac renitenti. Subsequentum è vestigiò Priorem objurgavimus, ingratitude exprobrantes, quod ignarus consuetudinis atque humanitatis expers, vilia quædam nostris denegare ausus fuisset: Excusantem, veniamque postulantem; dimisimus. Multa Franciscus Conversus contra Abbatem S. Michaelis loqua-



60  
tus nobis secretus; coercitus est, quia improbe & perturbate loquebatur. Movimus Patavio x. Kal. Martias; ipsaque die ad Monasterium nostrum S. Marie de Carceribus venimus. Abbatem, ad Concilium proficiscentem, procuratorem rerum nostrarum instituimus; puerisque nostris salutatis, & Abbate multum exorato; ne illos sine Magistri solatio relinquere (ipsum enim secum velle ad Concilium ducere profitebatur): profecti sumus. Venimus ad Monasterium de Vangadicia viii. Kal. Martias; ibique a nostro Abbate lautissime accepti, quaedam emendare perreximus. Plerique illic nos convenere. Remorati biduum, necessariò sumus, dum res nostrae navi ex Patavio adveherentur. Inde cum honore deducti, cum ipsa die Bononiam pertingere posse putarem, ad castrum, cui Cento nomen est, itineris malignitate pervenimus, xii. ferè millibus passuum a Bononia disparatum. Sedenim antequam moveremus Monasterio, scriptis ad Vguccionem literis, oravimus: ut ex Marchione literas impetraret, per quas salvis cum sarcinulis nostris per omne ditionis suae territorium transire liceret. Transitus, literas hujusmodi appellant. Ille non modò, quae petebantur, indulsit; verum ipse quoque scripsit suo nomine literas, mandans omnibus, per quos transituri eramus: uti nos haberent honorifice; & itineris comites, si postularentur, accederent. Misit praeterea fidissimum ex suis hominem, qui nobis occurreret, castello cuiusdam juris sui propinquantibus, nosque susciperet apparatu permagnifico. Vbi eò venimus, quoddam intemptivum esset, simul ut constitutum conficeremus iter, manere vel modicè passum non sumus; gratias tamen egimus tanto in nos affectui summi viri. Ea nocte ibi remorati apud Monachum nostrum, acceptisque lautè satis ac splendide; sequenti die Bononiam venimus. Ibi a nostris maxima gratulatione suscepti; postridè famulum & jumenta ad Abbatem nostrum de Rotis, qui in Vangadiciae Monasterio necessariò restiterat, misimus: hortantes & orantes literis, ut maturaret reditum. Divertimus autem ad Monasterium nostrum Angelorum, ubi frequentes ad nos amicorum, & maxime nobilium, fuere concursus. Albertus, Carolus, Romeus, Bornius, & complures alij, exsatiari conspectu nostro, colloquioque non poterant. Multum certè in illis humanitatis offendimus, quam iudiciis illustribus praeferebant. Aderat tunc Franciscus Soderinus, Legatus Civitatis nostrae, vir perquam sanè gratus & facundus. Eum alloqui cupientes, ut ad Ecclesiam S. Damiani proficisceretur, oravimus. Paruit lubentissime perhumanus juvenis, sermonemque prolixum habuimus. *De revocandis amicis nostris, an spes ulla esset, rogatus: rem factu perdifficilem, pluribus rationibus, dixit.* Multa in hanc rem contulimus; nihilque spei retulimus. Licet ille; ut alijs Florentia congregemur, admonuit: suum in hac re iudicium, non pluris faciendum, quam ceterorum, dicens. Paucis ibi diebus commorantes, Fratres nostros S. Domini visitare curavimus. Ancillas item Christi in Monasterio S. Christinae adeuntes: in timore Dei & sancta professionis instituto, pro viribus, confirmare studuimus, non tacentes, qua Venetijs comperissemus; atque ad Angelica puritatis imitationem provocantes. Admissa est maxima cum gratulatione, nostra exhortatio, mirumque in modum ex nostro ore pendere videbantur. Iussa nostra, de Monasterii Clausura claustrisque, exequutas comperimus; atque in Dei rebus proficere in dies, hortati sumus. Vidimus per eos dies sacras civitatis aedes. Scripserat ad nos Stephanus Porcius, cum adhuc Venetijs essemus, orans: ut doxum nostram, quae Socii est, Bononiensi decedente Magistratu, permitteremus; cupere enim tantisper in otio vivere. Serò redditae literae, effecerant, ut tardius rescriberemus. Itaque nostris omnibus mandavimus; ut memoratum Stephanum ita susciperent, ne quid diligentiae desideratum in eis, possemus deprehendere. Domum ipsam non solum usibus ejus permitterent; verum necessaria omnia praepararent, lectos, vinum, hordeum, paleas, & cetera usibus amici necessaria. Profectus ille est, non expectat s literis nostris; quippe hiems urgebat, quae multum inhorruerat. Sed tamen a nostris, licet minimè admonitis, accepti gratissime sunt. Et imprimis a Marioto nostro, qui quoddam eum nobis carissimum sciret, nihil agere omisit: quanquam mirus, quam vellemus, actum, ipsemet postea, literis admonitus, excusaverit; sibi non fuisse suo tempore redditas. Moratus est ibi vir amicissimus tanta cum gratia; ut omnem circa regionem effecerit ferè juris sui, omnesque vero illum venerationis prosequerentur affectu, senes, juvenes, mares, puella, & ipsi postremò pueri atque infantes. Nihil in eo, nisi plenum auctoritatis & gratiae. Denique me-

es ferè v. remoratus; grande sui desiderium reliquit omnibus: deduxerèq; abeuntem juvenes ferè C. Devinxerat sibi omnes benignitate, liberalitate, modestia, pudore, specie, comitate. Nullas ibi rixas, nulla jurgia, eo presente, conferta, certum est. Veteres discordias & inimicitias, antiqua odia; non priùs destitit, quàm sustulerit omnia. Nihil in eo insolens, nihil impudicum, nihil indecorum, verbo, facto, signo unquam deprehensum. Verùm ut eò, undè parumpè aberravit, redeat oratio: Bononia, deducuntibus claris equitibus Romeo, atq; Carolo, & nostris, vii. Idus Martii profecti, die ipsa Florentiam venimus. Indè, postridiè, ad nostrum Monasterium S. Petri de Luco: ubi accepti gratè, visitationis officium exercere instituimus, diutiùs omissum, eà professione nostra Venetias, quam supra exposuimus. Peracta inquisitione solenni; multa pro tempore utilia ibi constituimus, & servanda mandavimus. Iurgiosas quasdam & garrulas, atque inquietas corripuimus acriter. *V. puellas vel iv. suscipere mandavimus, non generis nobilitatem, sed ingenuitatem in aolis eligentes; easque ipsas Gerarda, mulieri gravi, in disciplinam darent; educandas religiose, ac graviter.* Stipendium annuum, quia ex toto nequivimus, vel medium tulimus; grave licèt id quibusdam sit visum. Compositis ad laudem Dei, quantum ipse donaverat, rebus; eis valefacientes, & suadentes: *persistere in disciplina Domini, & in religioso & sancto instituto;* profecti sumus. Rem illarum Praefecto regionis A. Azarolo, antiquo amico nostro, commendare perreximus, eùm illum adissemus visitandi gratia. Ab eo accepti gratissimè polixum sermonem habuimus, de negotiis publicis. Ipsa die, videlicèt xvii. Kal. Aprilis, ad nostrum diversorium S. Margaritæ profecti; Priorem visitavimus ex instituto nostro. Ibi tristi admodùm percussi nuntio, Florentiam petere coacti sumus. Quippè, unam ex filiabus nostris, oppressam ab impuro & impudico homine propinquare partui. Turbati sinisteris rumoribus, simul & rei indignitate commoti; ea illuc intentione concessimus, ut, si vera fuisse deprehendissemus, quæ dicerentur; hominem illum infamem, Monasterio suo pertractum, vincitum atque captivum duceremus, exemplo ceteris futurum. Vbi ad locum applicuimus; jacentem quidè illam invenimus; sed partu levatam jam, an alia infirmitate detentam, explorare tunc minimè potuimus. Indicia quædam licèt id attestari viderentur, quæ, presente Monasterii Matre, per nos ipsi deprehendimus. Surrexit illa, perturbata nostro adventu repentino; neque tamen, cùm secretis admoneretur à nobis, quicquam exculpere amplius potuimus. Et quoniam res ea suspecta multum erat, adhibere Medicum ferè consilium fuit, qui secreta mulieris inspiceret. Et illius tamen, & nostræ verecundiæ tunc parere, satius duximus. Omnes planè de familia negare obstinatissimè, ac ferè indignari, hujusmodi sibi crimen impingi. Sedato impetu, credere illis fingentes: omnes, ad servandum votum castitatis, serenata jam facie & animo tranquillo, sumus blanda oratione adhortati; innodatas tamen anathematis vinculo, à quo nisi à nobis absolvi non possent, si mentiri nobis voluissent, relinquentes. Indè profecti, rediimus ad Pratum-vetus xv. kal. ibique in nostro Monasterio de Poplena visitationis munus exegimus. Constitutis quibusdam utilitè & necessariò, transivimus ad visitandum Monasterium S. Io: Evangelista. Ibi bona conversatione Ancillarum Christi multum recreati; omnesque ad perseverantiam sancti Instituti atque ad profectum hortantes; plura tamen eis mandata dedimus, suæ conservationi felicibusque successibus accomodata. Matrem Monasterii, prudentissimam; & secretis monuimus lenitatis modique in voce servandi; & publicè, ut in firmioribus morem gereremus; leniùs tamen atque moderatiùs, ut illis, adversus Matrem superbiendi, daretur occasio, si publicè severiùs ageretur, ac per id amitteret autoritatem. Tulit hanc ipsam dispensationem nostram gravitè Mater; nobisque quid lentiret, exposuit: *veteri, nè indigniùs deinceps haberetur, quod nimium confidentia ex verbis nostris fortassè sumerent; fieretque dissolutio, metu sublato.* Eam nos blandè consolati, & rationabiliter admonentes; nos modum nequaquam excessisse, monstravimus. Omnesque postremò allocuti; Matrem, ut revererentur, præcepimus; statutaque nostra legimus, & inviolabiliter servari iussimus. Gratè omnia admitta sunt. Non detulerunt, quæ an è excessum indè nostrum, nobis confiteri vellent. Puellam, Matris neptem, Religionis habitum & cupientem & postulantem, exaudire animus fuit; sed exploratis votis omnium, ferè destitimus: licèt hanc earum intentionem nequaquam probaverimus, Ma-



trig; injunximus, ut erudiendam curaret, literisque imbuendam. Id postea minime factum, deluimus; negligentiamque reprehendimus. Profecti inde; ad nostrum Monasterium Fontis-beni, x. Kl. venimus. Antea verò, quam peregrinationem superius scriptam adoriremur; Austur, amicus noster, & Paulus, alius; verba nobiscum habuerunt, de commutatione quadam facienda cum filio Nicolai Benvenuti, in hunc modum: *ut partem fundi Monticuli, se contingentem, traderet nobis; nos vicissim ex possessionibus nostris, quae essent prope Florentiam, ei, quantum esset pro compensatione, daremus eisdem conditionibus, quibus Monticuli fundum, nihilominus nostrum, habuisset.* Eam rem, quia placuerat, cum eis viris tractandam Matthæo Priori Balnei, & Benedicto cognato nostro permiseramus: cum illi, præter mentem nostram, nobis irrequisitis concludere. Id primum in Monasterio S. Petri de Luco constituti, Benedicto referente, didicimus, displicuitque conclusio & irrationabilis & contra intentionem nostram facta: eaque res postea multum exercuit nos, amicis illis nostris multum, ut executioni mandaretur, infestantibus; nobis contra: *male atque in detrimentum nostrum conclusum ab eis, qui concludendi auctoritatem minime habuissent, asserentibus.* Et primò quidem Austurem ipsum, Florentiam petentes, obvium habueramus, qui nos factæ conclusionis admoneret. Cui, cum placidè responsum esset; iter suum quisque peregimus. Literis postea & nuntiis frequentibus acti (nam Paulus ipse nos hujus rei gratia iii. adierat.) fermè ad similtatem venimus. Postremò, Comes noster Pupiensis, causæ adhibitus arbiter. Is à nobis primò Burgi fuerat admonitus. Coniciebamus enim, quoniam Austur & Paulus eo amico uterentur, fore, ut sibi de re, verba facerent, cujus apud nos auctoritatem plurimum valere, non ignorarent. Id quod verum fuisse, ipso postea Comite nuntiante, & rei exitum docente, percepimus. Denique exhorruerat negotium, cum audisset: *tantundem fructuum assignatum Florentia, quantum, ferre Monticuli illam partem, diceretur.* Ejus rei gratia, dum, eo præfente, aliquancidè contendissemus; in hanc tandem sententiam convenimus: *ut ad arbitrium Comitis negotium exigeretur.* Renuere ille, sociosque ex Religione nostra postulare, vel duos, perrexit. Ei Abbatem Camaldulensem Prioremque Sanctæ M. assignavimus. Sicque discessum est. Cunctantes licèt, onus suscipere; congressique Comiti, nihil tum concludere, solis hinc inde discussis rationibus. Fraudem, tum suspicati sunt nostri, esse in negotio Florentiæ; postmodum, post longissimam disceptationem, res ea conclusa est. Nanquè primò Comes ipse, literis amicorum circumventus, sententiam tulerat in grave præjudicium nostrum; scribens nobis literas, quibus, quid esset gestum, amicè significaret. Quibus, valde commoti, rescripsimus; fraudem nobis factam conquerentes. Neque enim, ut illi suggestum erat, sententiam consensu nostro dictatam; sed menti nostræ omninò contrariam, tulisse. Venientes ad nos Austurem & Paulum unà cum tabellione Pupium, profectò agrè admisimus; multumque conquesti sumus, bonæ fidei nostræ ità illusum fuisse. Satisfacere illi studiosè curantes; vix nostrum cohibere impetum; tabellionem etiam, ultra modestæ limites, contumeliis insectati sumus; agente id perturbatione, quam maxmam ceperamus. Posteatamen, pacifico & tranquilliore animo, res conclusa est; longè meliore conditione nostra. Nam pro lxxxvi. aureis, quos assignarant, qui primò rem gesserant; lv. tantum assignari sibi, perlibenter admiserunt. Verum ad curriculum temporis, vndè modicè detorsimus, redeat oratio. Florentia profecti, obvios habueramus Senenses mobiles, qui ad Stephanum Porcium pergerent; eum Prætorem suæ civitatis electum. Hi, postea quam Camaldulum concesseramus; unà cum Stephano ad nos venire. Erasmus tunc in Heremo; quò illi videndi gratia, simul ut nos salutarent, conscenderunt; gratèque pro loco & honorificè accepti; omnibus lustratis, ad Monasterium Fontis-beni rediere: Ibique nocta quiescentes, electionem, adstantibus nobis, celebrarunt. Comitem amicissimum nostrum, ex officio nostro perrexeramus salutatum; multumque ac varium sermonem cum eo habueramus. Exegimus autem in Heremo ex nostro Instituto dies sacros; ipsi Fratrum omnium pedes abluentes, & officia cuncta peragentes, magna cum recreatione animi nostri, cunctorumque letitia. Peracta solennitate Paschali, institutæ visitationi operam dare perreximus; atque ad Burgum S. Sepulchri profecti sumus. Monasterium primò S. Io: Evangelistæ visitavimus; discussisque diligentèr omnibus; ex Monachis, quosdam corripuimus publicè; multaq;

ad honestatem vitæ pertinentia ibi instituimus, & tam Abbati, quam ceteris servanda præcepimus. Abbatem ipsum secretò corripuimus, quòd irrequisitis nobis, tentare aliquid, de permutatione cum Britonoriensi Abbate faciendâ præsumpsisset; aditumque omnem obstruximus rationabiliter, quòd neque sibi, neque Monasterio conduceret ista mutatio. Camerarium ibi Simonem, Priorem S. Nicolai plena cum potestate constituimus. Adierunt nos illuc Henricus & Benedictus de Mutiliana, amici nostri, & pro Domino Terræ Nicolao agentes. Hi nobis fratrem suum B. commendantes, orabant: *uii Abbatem ipsi Monasterio præficeretur; placere enim id Domino Oppidi.* Injusta postulantes, blandè repulimus; indignitatem rei documentis apertissimis pandentes. *Abbatem enim, virum bonum & populò acceptum, removere, iniquum esse: verum longè iniustius fore, si secularis, & qui nulla nequam Religione instructus fuerit, substitueretur: magnumque omnibus scandalum inde oriturum. Ne ipsi quidem fratri suo conduceret, si Abbas præficiatur. Nam: si quidem opes quæreret; Monasterium non esse opulentum, quòd Monachos plures sustentare necessario oporteret, Divina Officia die, nocturne celebrantes; neque posse, sine gravi scandalo summòque dedecore, aliter fieri. Si quietem appeteret; nihil Monasterio ipso inquietius, quippè cum præter communes & perpetuas occupationes Monasterij, Abbas ipse Ordinarius oppidi sit, ad quem omnia negotia referri opus sit. Si honorem; est illud quidem honorabile Monasterium; sed nisi cavissimè agatur, pro honore, parere ignominiam. Si voluptates; non esse habitum Religionis appetendum, quippè cum Religiosum Institutum, cuius gratia habitus sumitur, sit voluptati adversissimum, & infensissimum.* His rationibus, & alijs plurimis, amicis, ut desisterent, ægrè persuasimus. Venerat & ipse Bisfolus eadem flagitans; quem, benignè acceptum, itidem fregimus; & nostri & sui honoris rationem habere, admonentes, placidè à nobis emisimus. Comitem nostrum (nam tunc & ipse aderat) visitatum pergentes; & ipso comitante ad Monasterium remeavimus. Plura invicem amicè contulimus; deque persona ejus & meritis, qui præficiendus placebatur, ea ex ipso didicimus, quæ animum nostrum vehementer commoverent; & si quæ fuisset ejus ad aliquid aliud promovendi intentio, tota abvolavit. Ea, parcens legentium auribus, referre omitto. Amicissimè, ut semper, admonuit, honoris nostri rationem haberemus. Advenerat eò & Castellani Episcopi frater cum literis ipsius; quibus & exposculetur: eùr, post sententiam trinam pro se latâ contrâ Monasterium, Abbas Ordinarij vice, perfunctus esset; postulareque ut sibi interdiceremus, literas exequutorias & compulsorias mittens, terrores intonantes. Aderat Comitibus nostri Cæcellarius, ab eo ad hoc missus ut quid responderemus, referret ad Comitès. *Nos & Apostolicas literas revereri diximus; neq; Episcopo quin iura sua inquireret, impedimento esse. Ceterum non ignorare dignationem suam, post ultimam sententiam, re instante, Roma causam in priorem gradum à Domino Summo Pontifice fuisse restitutam; curamque Cardinali S. Xysti tunc permissam, impediendi executionem sententia contrâ causam indefensam lata.* Multis hanc in rem verbis ultro citroque habitis; Episcopo convenientia recepimus, & ita, ut ex literis nostris occasionem nullam querelæ aucupari posset. Verba tùm de hac re habuimus cum ipso Comite. Et cum postularet Episcopus ipse, ut ambo Pupium contenderemus, & cognitore Comite, jura nostra vicissim proferremus; Comesque ipse, ita faciendum, arbitraretur: *Nos, quòd jura nostra Roma omnia ferme remansissent, impossibile id, tùm quidem, esse, respondimus. Daretur spatium, Scripturas vltas adhibendi; nihil nos detrecturos. Ceterum, si exposita librorum strue, ut pollicebatur, iura tan um sua allegare pergeret; nosque, utpotè ipsius rei rudes, nihil obicere contrâ possemus: nobis maximum præjudicium fieret.* Vix Comiti satisfecit satis nostra ista ratio; & contrâ quàm putaveramus, in proposito perstare cognovimus. Visitato Burgense Monasterio, votisque civium plurimorum, quos ad hoc vocari feceramus, exploratis; atque ex illorum testimonio, Abbatem, ritè præesse, ac sollicitè munus suum exercere, noscentes, & Plebi opportunè satisfacere; latiores facti, Deo gratias egimus. Convenere plerique civium, causam Monasterii cum Episcopo Castellano intensissimè nobis commendantes. Polliciti sumus omnem operam exhibituros; nihilq; omissuros diligentia, dùm jura sua Monasterio inviolata servarentur; bonaque spe esse jubentes, abire permisimus. Transivimus ad visitandum S. Margaritæ Monasterium, quod extra oppi-

64  
da esse; breve quidem, & ferme dixerit, inutile. Mulieres ibi satis multas invenimus pro qualitate loci. Visitatis eis omnibusque discussis diligenter, illarum inopiam blandè consolati sumus; & admonitis: *de pace ac tranquillitate mutua sollicitè servanda & Officio Divino dicendo*; quandam provocacionem denotavimus, atque durè corripuimus. Post hæc ad S. Catharinæ Monasterium cōversis; cum omnia diligentèr inquireremus, cōperimus fœda vestigia Sacerdotis senis atque improbi, qui, zelotypia stimulante, Abbatissam loci insimulabat, quæ solius esset deperire; & à qua repulsam passus, & alium sibi successisse rivalem ægreferens; insanire videbatur; multasque proponens nobis querimonias, literas ad eam directas, plenas turpitudinis, legendas nobis dedit. In his, etsi nullus mulieris consensus apparebat; quia tamen illas receperat, non potuimus non malè suspicari. Itaque in senem acriter investi, ejusque petulantiam dignè objurgantes, literas ipsas servavimus nobis. Profectique ad Monasterium, visitandi studio; cum Matri, sua dedecora non spontè consententi, literas esse penes nos, exponeremus, turpitudinis admissæ certum argumentum: negare illa, quicquam à se perpetratum mali, literæ licet hujusmodi intervenissent impudici senes. Multis illam verbis egimus; & cum, tam hujus rei consideratione, quam, quod locus ipse Religioni nulla ratione esset idoneus, Monasterium ipsum destruere velle diceremus; atque obfirmato ad hanc rem exequendam animo, Abbatem primò & Prælatos alios misissemus, qui eam hortarentur, sponte sua cedere, nè id pateretur invita iteratòque si illud profecti essemus: vicerunt nos Prælatorum adstantium preces, mulieris conjunctæ lachrymis, ut eas sic stare permitteremus; additis minis; Si quandò malæ rei aliquid comperissemus, nos ei ultra nequaquam parcituros, sed locum ipsum solotenus diruturos. Quædam illic instituimus, servandæ Clausuræ adminicula; Sicque discessimus: visitato primùm Priore S. Nicolai, illi adhærente Monasterio; sibi que diligentèr commendata Monasterii ipsius cura. Rebus Burgi compositis, Decianum venimus; ibique Abbatem Monasterii ipsius invenimus Mariotum nostrum. Venerat ille primùm cum Pueris nostris, dum Burgi essemus, & ibi tunc nostrum præstolabatur adventum. Accepti gratè sumus; omnèque reparationem Monasterii, ipsius industria & opera, à primis sue promotionis auspiciis factam, collaudavimus. Discussionem solenni celebrata, datisque & accepti ratione posita, profecti; ipsa die Camaldulum venimus. Stephanum Porcium prius Socii salutavimus; à quo & annulo donati specioso, pyxidulam onagrini offis contra venena potentissimi (Abbatis nostri S. Michaelis donum) sibi largiti sumus. Fuit nobis cum Heremitis nostris per id temporis frequens tractatus, de reparatione tum Monasterii tum Religionis; minimumque semper solatii inde reportavimus: cum homines ipsi, contemplationi ex suo Instituto dediti, actioni magis inservire (atque utinam commode!) pergerent, semper, quæ sua sunt, inquirentes, neque suis necessitatibus fieri satis, conquirentes. Invalerat illos irrationabilis metus & vana omnino suspicio, nos pellere eos inde constituisse. Neque dissimularunt, quin hunc sensum suum nobis aperirent. Blandè increpitos: *admonuimus levitatis sue, qui tam facile præsumpta opinioni acquiescerent. Dicerent, quod unquam ex nobis percepissent indisium; ut merito, ita suspicari, debuissent? Semper in honore ac delicijs, habitos, ac si delicatos filios. Nunquam à nobis vel simplici sermone contristatos. Nisi amoris & benevolentia, signa nulla in eos emanasse.* Pœnituit eos stultæ & inanissimæ opinionis suæ. Neque tamen, admoniti, destiterunt; multumque nos exercuit illorum insipientia: ut singularitèr cuncta referre, omittamus, quia sine verecundia nostra id facere nequaquam possemus; ad quos meritò refertur, quicquid unquam à nostris delinquitur, & ab his maximè, qui propinquiores sunt nobis. Scripsimus ad eos literas graves, illorum explorato consilio, quod utrunque Hieronymum revocare instituerent; omnem istiusmodi facultatem illis adimentes sub maledictò anathematis. Hieronymo de Praga ex Patavio scripsimus, mandantes; uti nè ad Heretum ultra remeare præsumeret, quia in Basileense Concilio, contra Pontificem Eugenium, à nobis inhibitus, multum egisset, nosque aspersisset iniqua infamia; sicuti & literis Abbatis de Carceribus & certis nuntiis fuerat significatum. Ille amaritudinis zelo concitatus, ad Concilium scripserat, exemplar nostrarum literarum mittens; Cardinalesque omnes contra nos concitavit, ut ex Abbatis nostri literis certiores facti eramus. Rescripsimus & Abbati ipsi & Cardinalibus, singularitèr omnibus, verùm maximè Protectori nostro, quem

commotiorem fuisse perceperamus; & S. Angeli, & Bononiensi, & Firmano; rationem facti nostri afferentes: quod, non tam tuendi Patris Eugenij gratia, aut injurias illius vel nostras vindicandi; quam rebus nostris, & quieti consulendi, ita egissemus. Esse enim ejusmodi hominem solitaria quieti minime idoneum: Sententia tamen illorum, permittentes, quid fieri de illo jussissent. Cardinali tamen S. Crucis, & Religionem professo, & nostri imprimis studioso, hominis illius scelera aperte nudavimus non mediocriter, sed ingentia & pijs auribus horrenda. Huic tantum literis Abbas noster exhibitus, prohibitus ab eo est suas ceteris reddere; causam hanc assumere sibi disponente; atque arbitrante fortassis, quæ sibi scripseramus, alijs itidem scripsisse. Verum nos & personarum habueramus rationem; & soli sibi, vt Religiosi instituti æmulo, ista aperueramus. Adventus ad nos nostri Dionysij, sollicitudinem addiderat nobis, quem Priorem Claustralem reliqueramus in S. Matthæ Monasterio. Is à Priore cum haberetur negligentius; planè contrà nostram intentionem, fuerat indè profectus; Monasteriique pessimum statum nuntiaverat nobis. Quo nuntio ( ut par erat ) percussi; repentè scripsimus ei, quem sibi Vicarium Prior, dum ad Concilium iret, instituerat: dolorem nostrum aperientes, atque ad conservationem familiæ hortantes, Abbati quoque Sancti M. literas dedimus, orantes: uti nè Monasterij ipsius, semel sibi à nobis permissam, linqueret curam. Dionysium ipsum, remorari in Heremo cupientem, cum reditum ad antiquum nostrum Monasterium nequicquam tentasset; blanda pollicitatione relevare curavimus. Per eos dies, cum nostra negotia multum vrgerent, ac plurimum difficultatis habere viderentur, convocare à d conditam diem Prælatos omnes vicinos studuimus, consultandi gratia: ut ad reparationem labentium rerum nostrarum, quo nobis itinere pergendum esset, exploratis singulorum sententijs, deliberare possemus. Convenere ad xv. fermè; concilioque acto, præsentibus Heremitis ( nam adesse voluerant, solliciti nequid contrà se proponeretur ), quæ erant in causa, exposuimus, capita plura proponentes, eisque ut responderent singulis, & sententiam suam explicarent, jure caritatis exegimus. Deliberare inter se primùm ac tractare cupientes, non ingrè admisimus; indultoque respondendi spatio, quænam illorum esset mens postea & verbis & scripto edocti sumus. Ea omnia tractantes apud nos, majori ex parte approbavimus &, quantum donaret Dominus instituimus exequi: Ad Monasterium Prati-veteris in ipsius præcipua solennitate, orati, concessimus; Missarumque solennia celebravimus, Comite nostro cum omni familia adstante. Displicuit nobis immodica frequentia ex veteri licet consuetudine profecta, Religiosæ tamen gravitati & honesto instituto minimè congrua. Quippè, patefactis foribus, omnes passim ingredi; prout cuique libitum fuerit, pergunt; salutationibus & poculis vacant; quod summè iniquum & nefarium duximus. Ac licet Ancillæ Dei spectaculis istiusmodi non adsint; non possunt tamen non pulsari memoria consuetudinis veteris; daturque tentationibus aditus. Multa eo die cum Comite nostro colloquuti sumus, tum de Burgensis Monasterij cum Episcopo Castellano controuersia, tum de negotio commutationis suprâ memoratæ, rebusque alijs serijs. Neque dissimulavimus, quin introductam consuetudinem carperemus. Sed & cum Matre Monasterij, nobis præsentibus sermonem ille varium habuit. Dimissa celebritate postridie convocato cætu omni, dolorem pectoris nostri aperuimus; consuetudinemque vitiosam, & periculofam vituperavimus: *nostræ intentionis non esse, asserentes, ut hujusmodi mos ultra observetur, qui sic vituperandus & à Sanctitatis instituto prorsus alienus. Hortati sumus, ad honestioris amulationem institui & ad congruam professioni suæ gravitatem; Monasterij claustra nemini parere, admonentes; corroboratisq; nostra admonitione, discessimus. Advenit per eos dies, à nobis evocatus, Sebastianus Abbas senex, negotium commutationis cum Comite acturus, adjuncto sibi Priore S. Mariæ; paucisq; diebus nobiscum gratè & comitèr vixit. Socium primò concessimus paritèr, huiusq; ipsi eorum reditum expectare decrevimus; simul ut, si opus esset, evocari è proximo facilis possemus. Interim cum nostro Stephano morati, sermonem habuimus varium, & Reversos à Comite nostros, & indè nobiscum proficiscentes, cum prius modica portione recreasset, Stephanus ipse deduxit officiosissimè; magnamq; sui admirationem Sebastiano reliquit, non sufficienti oris gratiam, sermonis gravitatem, habitusq; & gestus dignitatem*



tem admirari. Regressi ad nostrum Monasterium, Sebastianum ipsum post biduum à nobis cum Priore dimisimus. Exactis tandem plurimis; & expeditis, quæ pro tempore emerferant, ceptæ Visitationi insistere, quam modicè interniseramus, constituimus. Confirmato ad id animo, Arretium per Vallem Arni petebamus, ut expectationi Prælatorum & officio nostro satisfaceremus, simul ut amico nostro Præfecto Vallis congregaremus expectanti plurimum adventum nostrum. Sed dum ed pergimus, medio ex itinere (credo inspirante Deo) mutato consilio, Pisas ire institvimus. Et quoniam exactores Cleri à Civitate constituti præsentiam nostram requirere studiosè perceperamus; murum urbis circumivimus, dum ad nostrum S. Salvatoris Monasterium veniremus. Ibi noctem illam quiescentes, manè noris Iunii propinquam portam Civitatis, qua Pisas itur, clam egressi, serò tandem ad nostros Fratres Nicosienses (est autem Monasterium xv. fermè millibus passuum à Pisis separatum) pervenimus. Accepti ab eis plenissimo caritatis officio, Monasterium omne iustravimus, & Religioni aptissimum ac decentissimè constructum iudicavimus. Fratres omnes illos, ante annos plurimos in nostro Monasterio, & per nostram operam hospitium, quando Florentiam venissent, habere solitos, atq; idè à nobis cognitos, & pro vitæ merito carissimos, amplexi; manè Pisas contendebamus. Et cum portæ civitatis propinquaremus, offendimus Abbatem S. Zenonis nuro adequantem. Is nobis nequaquam conspicuus urbem introgressus fuerat. Placuit remorari extra oppidum, donec mitteremus, qui nostrum Prælatis adventum nuntiarent, ut, ubinam primò divertere solenne esset, scrutaremur; simul, ut occurrerent nobis. Eis, ut ad Monasterium S. Zenonis primò iremus, indè ad S. Michaelis deducendi Monasterium, visum fuit. Sicq; factum est. Cautè Abbatum illorum scrutari gesta animus fuit, quia & multas haberamus querimonias, & expectabatur noster ed adventus, disquirendi & corrigendi actus illorum gratia; neq; quicquam illorum confessione exsculptum est. Adhibere studuimus secretiùs laicos aliquos, graviores viros, & nè sic quidè profecimus quicquam, sive illi metu cederent, sive indulgerent gratiæ, sive falsa ad nos de illorum gestis permanerant, quod optandum, quàm sperandum visum est. Animus fuit huic quæstioni instare acriùs, modosq; adhibere alios, sed fregit istiusmodi propositum rumor allatus. Quippè antè, Romæ vincum detineri Pontificem Summum à Romanis, obscena fama vulgaverat; tum verò, effugisse proditorum manus, Pisasq; contendere nunciabatur, & singulis diebus affuturum. Conjuraverant adversùs tanti meriti virum, Patrem ac Pastorem omnium, conscelerati cives, ac nisi illum Deus omnipotens servasset ex impiorum manibus, actum fuisset de illius vita & salute. Innotuere Pontifici insidiæ perfidorum, seq; observari ubi didicerat, ex Palatio S. Petri, editiori scilicet atq; munitiori, ad Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim contulit, ut arte illorum impios conatus eluderet. Indè, captata hora, cum jam rapiendus esset, posito Pontificali habitu & cultu, Monachi cucullam sumit, & vno tantum comite ejusdem habitus, in hortos concedens, & quidè contra suorum sententiam, ad Tiberim pervenit, paratamq; cymbam ascendens, summo remigum impulsu ferebatur. Vbi verò innotuit, elapsum esse Pontificem; id etiam sceleribus suis addiderunt, ut persequi jamjam fugientem pergerent, atq; evadentem; irritos, dolentes, fuisse conatus suos; iaculisq; impetebant eminè. Sed illum omnipotens Deus mirabiliter atq; misericorditer & inter persequentium tela servavit illatum; dum ille tandem, ex minore scapha in triremem ad id præparatam scandens, paucis diebus Liburnam venit. Quorum principaliter scelere Romani tantum facinus aggredi voluerint, quia anceps sententia est, ipsi nequaquam diffinire volumus. Pisis ubi innotuit, Liburnam applicuisse Pontificem, congrui ad eum suscipiendum, quantum angustia temporis sinebant, apparatus fiebant. Qua verò die affuturus expectabatur, ipsi ante lucem obviam illi ire perreximus, & decimo fermè lapide equitatem cum paucis offendimus Pontificem summum, nudum fermè. Miserati præsentem rerum faciem, & Deo tamen gratias pro illius ereptione referentes, resoluti in lachrymas sumus. lumentis lapsi, ubi ille appropriaverat, accurrimus, illiusq; sacra osculati vestigia & manus, ad oris osculum suscepti sumus, illo gratissimè nos accipiente, & benignissimè resalutante: Deoq; in communè gratias egimus, neq; tùm lachrymis temperatum est. Salutavimus & reliquos itineris comites,

mites,

mites, & Cervientem Episcopum impimis, optimum virum & antiquissimum amicum nostrum. Is Basilea tūn rediens (nanq; fuerat à Pontifice ad Concilium missus) iam fugienti occurrerat, ignarus rerum, secumq; proficiscebatur. Tūn verò inter familiares sermones nostros, cūn de Hieronymo illo nostro, qui fuerat ad Concilium profectus, incidisset mentio; vera esse, quæ Abbas noster de Carceribus scripserat, animadvertimus. Nanq; & commotionem quorundam ex principalibus retulit, quòd redire hunc ad Heremum prohibuissimus; & se, benevolissimè ac rationabiliter factum nostrum excusasse, professus est. Vbi verò Pisis appropinquavimus; Populus omnis & Magistratus civitatis occurrit cum laudibus & gaudio inæstimabili. Præcedebant pueri redimiti tempora lauro atq; fronde varia & floribus; laudesq; concinentes, & inclamantes pacem, Pontifici & omnibus fletum excussere. Sequebantur viri suo ordine, umbraculoq; exceptum Pontificem, in civitatem deduxere, primoribus viris fræna equi regentibus dextra atq; læva, & illi obambulantibus jugiter. Tūn verò omni ex parte oppidi, qua erat transiturus, turba innumerabilis confluens, effecerunt ut esset perdifficilis transitus. Matresfamilias & pueri atq; in nuptæ puellæ è fenestris ac tectis prospectabant, donè in principalem Ecclesiam est introductus, Archiepiscopo civitatis & Clero omni occurrente ex more. Ibi oratione fusa, in Palatio Archiepiscopi sedem habuit. Nos postridiè quàm advenerat illum saluta- atq; orare perreximus, his verbis. *Antè omnia, Pater Beatissime, quaeso, nè mihi impingat negligentia crimen tua sancta dignatio, quòd quasi officij oblitus ad visendam Sanctitatem tuam, tam serò redierim. Est testis mihi Deus, cordis nostris inspector & arbiter, quàm alto sinu, quantaq; benevolentia tua Sanctitatis memoriam foveam atq; complectar, utq; tristium omnium, qua Sanctissimo Domino nostro contigerunt, accesserint particeps, nullaq; sermè jacula persequentium vel manibus, vel longius intorta in te fuerint, quin præcordia famuli tui antè transfixerint. Verum ego, quid ista apud Sanctitatem tuam pluribus agam, cum non ambigam, affectum in te meum, non minus tua pietati exploratum esse, quam mihi? Tenes certè pignora, neq; illa obscura, nostra caritatis & animi jampridem tibi dedidissimi. Egi gratias Deo Pater Beatissime, quòd Sanctitatem tuam vel sic probare pressuris varijs, tanquam in fornace aurum, permiseris ad totius posteritatis exemplum, vel inter pressura ipsas tantum tibi constantia benignus indulseris, vel tuam pietatem his tam mirabiliter quàm potenter eripere dignatus sit; ut planè confiteantur Domino misericordia ejus & mirabilia ejus filijs hominum. Et si enim tristis rerum facies consussit viscera mea, cum Sanctissimum Dominum meum, nudum ac ferme fugientem primum inspexi; excussitq; lachrymas & præterita gloria & presentis ærumna collatio; non potui tamen non grate admittere, non Deo gratias ex corde referre, vel nudum suscipiens Dominum nostrum, præteriti consideratione periculi. Exhibuisti nobis aliquid antiquæ historis, exemplo fuga tua. Quippè Sancta memoria Innocentium II. Roma similiter excessisse, Pisisq; recepisse se legimus. Sed dignior hæc tua, quàm illius fuga; minusq; in se periculi habens. Ille enim scissa Ecclesia terribilissimo schismate, à Pontificatus culmine disturbatore Anacleto ejectus est; tu ut sapientissimus David furentis populi insaniam arte eluisti. illi laus, illi gloria, illi gratiarum actio, qui Sanctissimum Dominum nostrum, Ecclesia sponsum, integrum atq; incolitatem restituit nobis, & inter varia pericula, sua gratia servavit illasum. Equidè, Pater Beatissime, ita intueor faciem tuam, ut novum sidus à Coelo lapsum me intueri putem, supplexq; oro, ut dignetur pius Dominus noster Iesus serenum jam ex nubilo facere, & omni tempestatis nube discussa, terris candidum tranquillitatis jubar infundere. Meipsum certè, inutilem famulum tuum, tua Sanctuati obstrictum & obnoxium ita sentio, ut si hoc denno profiteri voluerò, verendum sit, nè crimen ambitionis incurram. Vere arbitrio tuo, & nisi superbum sit, experire an idoneum ministrum elegeris. Verbis enim Beati Laurentij uti libet, quibus ille interpellat antecessorem tuum Xystum, Beatissimum. Omnia ob caritatem tuam tolerare paratus sum, vitam deniq; ipsam, si opus erit, cum sanguine fundam. Sed excessi verecundia, ut vereor, terminos, qui tam multa de mea in te voluntate dixi. Dabis veniam amori, Pater Beatissime, qui modum servare nescit, & me famulum tuum benigne suscipies, quem tui juris esse, ne*

perpetuò fore intelligis: Quà finita, placidissimè nos accepit; atq; eùm inter loquendum Hieronymi jam dicti ultrò mentionem fecissem, & quid nam actum esset eatenùs, explicassem, sententiamq; expectarem suam, quid fieri juberet, ipse ut est clementissimus: & si, inquit, bonum fuisset, quod fecit, contra me agendo, quia tamen egit contra præceptum tuum, malè egit; petivitq; an pœniteret illum, ita egisse; & eùm perversam illius intentionem ex me accepisset, facito, inquit, pro arbitrio tuo. Et eùm doleret, se Chrylostomi Vitam à me traductam, sibiq; dedicatam, Romæ amisisse; assereretq; se præterita Quadragesima illam secundò percurrisse: At inquam, adit ipsius operis volumen aliud, (nam mecum ipsum tuleram); prolatumq; eodice gratissimè suscepit, apertumq; cepit continuò legere. Anulum præterea pulcherrimum nostri Stephani Porcii munus cum prominente onyche dono illi tunc obtuli; & cum aliquandiu tenuisset, tandem ut illum susciperet, impetravimus, sacroq; dextræ illius digito immisimus. Cùm verò illic paucis diebus remoraturus putaretur; Lucam ire visendi novi Abbatis gratia, Monasteriumq; Cantinianense visitandi, consilium fuit. Ad hoc eùm illius requireremus assensum, multusq; præfisset de Religione nostra sermo, benignè annuit, sponsione accepta, nos maturè redituros. Perreximus itaq; & apud Canonicum illum, qui ad nos ejus Monasterii gratia secundò jam venerat, hospitati; Abbatem quoq; vidimus, facie rusticana, sed tamen testimonio plurimorum bonum virum, & imprimis laboriosum & reparandi materiali ædificio Monasterii aptissimum. Accepti honorificè à Canonico ipso, sermonè prolixum habuimus, quo pacto Puteolanum Monasterium nostrum recuperare possemus; illi pollicentes ipsius titulum possessionemq; permitturos etiam sine mutatione habitus, ita ut & Monasterium S. Georgij & nostrum simul haberet, fieretq; utriusq; connexio. Vtilitè fieri id videbatur, quia nostro Monasterio destructo, suum integrum & Religioni aptissimum esset. Spem dedit conficiendi negotii; dieq; subsequuta Cantinianum perreximus, ruinasq; miserati ingentes. Abbatis tamen nostri industriam laudavimus, qui magno studio dirupta quæq; refarcire conaretur. Multum loci situs placuit nobis, ad Religionem summè aptus judicatus. Ibi accepto ex more obedientiæ juramento, Abbatemq; pro tempore de omnibus diligentè instructo, remeavimus. Et quoniàm ad recuperationem memorati Monasterii intenderamus animum, ex officio nostro Magistratum civitatis visitavimus, auxiliumq; implorantes suo tempore, benignum consensum reportavimus. Pisas regressi, eùm vehementè Abbatem S. Zenonis ageremus, ut confiteretur spontè, quod nobis innotuerat, suæ incontinentiæ scelus; nihil quivimus exculpere, illo pertinacitè negante omnia. Vidimus Ecclesiam ornatissimam columnis, pavimento, musivo, & quod gratissimum est, proportionè structuræ decentissima. Coemiterium itè permagnificum, ingens, testudine constans, picturasq; habens artis admirandæ. Nihil in re mæsta excogitari neq; lætius neq; magnificentius potuit. Campum Sanctum appellant; quadratum fermè, columnisq; marmoreis insigne. Prolixius opus nusquam vidi, neq; gratius. Præterfluit civitatem. Arnus fluivius tribusq; pontibus lapideis speciosissimis ex altera transitur ad alteram ripam. Nihil eo amènius aspectu; Habet utraq; ripa veluti pomerium viam latam, ædes speciosissimas atq; celsa palatia ab amne distinguentem; ubiq; perpetuum emporium est. Namq; est ea profunditas alvei, ut grandiores quæq; naves tutò adveniant. Arcus speciem præfert ille conspectus. Arcem quoq; civitatis munitissimam visere placuit; acceptiq; gratè ab amico illo Præfeto, cuncta lustravimus. Adivimus & nobile feminarum Monasterium, alloquitq; Matrem & antiquiores sorores, plurimum bonæ edificationis reportavimus, polliciti redire; ita enim oraverant. Quod tamen nequaquam implevimus, Pontificis repentino discessu prohibiti. Ibi scenam unius ex nostris accepimus, amicis quibusdam querimonias unius Monasterii nobis exponentibus, & ut corripereamus, orantibus. Et eùm nullum, ibi tale Monasterium, nobis esse, didicissent; Abbatem Sancti M. Monasterii illius curam prætere, mirati sunt. Displicuit mirè id factum, Abbatemq; ipsum severiùs convenimus, omnem illius Monasterii aditum curamq; penitus interdicentes. Dolor lateris per eos dies nos secundò jam gravitè afflixit, à quo tamen maturè miserante Deo convaluimus. Advenerunt ex Florentia plures tam Prælati quàm nobiles, ut Pontificem deducerent: Cardinali Sancti Xysti advenienti occurrimus, solusq; ex Cardinalium numero Pontifici Florentiam tendenti affuit. Movimus Pisis xx.

Iunij

69

Iunij Pontifici adjuncti, ipsaq; die vr. fermè passuum millibus processimus. Nos ad Sanctum Miniatem ea die perreximus eo consilio, ut in crastinum antè lucem in occursum ejus rediremus. Inquisivit nos sollicitè, ut dictum est nobis & cum, nos præcisissè, responderetur: At vidimus, inquit, illum, cum hùc applicarem. Corripuimus Monasterii illius Matrem, quod est extra oppidum, quod tandià suscipere visitationem nostram renuerint; & postridiè subito man. iter ingressi, Pontificem parùm abesse, equitabat enim ante lucem, didicimus. Descendit ad Sancti Iocundi Ecclesiam Pontifex aliq; recreatis omnibus modicè, ipsa die ad Montem-Lupum venimus. Susceptus est in ædibus Ecclesiæ Pontifex, nos cum Fesulano Episcopo sumus hospitati, viro simplicioris ingenii, & de nobis bene earendis merito: Ibi enim à consanguineis suis ille fuerat exceptus. Manè, antè lucem equitantes, Florentiam petebamus. In villa Angeli civis Florentini, qui secum equitabat, modicè quieuit. Iam verò portæ Civitatis propinquanti, quæ vastissima tunc tota patuit, omnis Nobilitas obviam venit; totusque Clerus cum insignibus ornamentis occurrit, omnis ætas, sexus uterque, omnisque conditio sese per itinera quaquaversùm diffuderat: ut nunquam transire fermè Pontifex posset; fueritque necesse, disseminare pecunias quacunquè iter ageret, ut his colligendis occupati, à pressura desisterent. Tecta fermè omnia ipsæque fenestræ, spectantes vix capere poterant. Mulieres, Matresfamilias, puellæque innup. & p. æcipuo muliebri mundo compositæ editioribus in locis residentes, magnum plerisque sui p. æcipere spectaculum; suosque in unum populos tunc verè prospexit Civitas. Ad principalem Ecclesiam Civitatis per illustriora vrbis loca ea pompa deductus; oratione facta, inde ad habitationis suæ locum eadem frequentia & celebritate reductus est; Pontificalibus insulis ornatus, & equo candido, insignibus phaleris exultante, in v. ctus: Quæ omni, p. usquàm vrbis propinquaret, obrulerat Civitas. Ità græte nostra Florentia profugos Pontifices duos, Ioannem scilicet xxiii. atque Eugenium Quartum sinu suo suscipere ac fov. re p. omeruit. Et inter hos medium, Martinum Quintum, annum ferè & semis tenuit; im. nò ut verus esset Pontifex & indubitatus, effecit, quando illuc ad ejus vestigia, qui (iudicio multorum) injustè abrogatus fuerat, Ioannes accessit; verumque Vicarium Christi & Petri Successorem confessus, ipse minoribus contentus officis peritit. Romani postquam Pontificem evasisse didicerunt, mæsti, quod res illis nequaquam ex voto successerat; ad prædam conversi, omnia illius expilare pergunt furore inaudito; compluresque Curiales violare pergunt, & imprimis Nepotem Pontificis Franciscum Tituli S. Clementis Presbyterum Cardinalem; & reliquis ægrè dimissis, illum arctissimæ custodiæ tradunt, vix sibi cuiusquam colloquium permittentes; ingentemque pecuniæ summam, & Castellum munitissimum, quod S. Angeli appellant, Ostiamque petunt. Enituit Pontificis constantia summa, dum neque affectu Nepotis potuit vinci; & quidem cum se plarimi or. rent & frequentibus literis illius pulsaretur, ut aliquid ex his quæ postulabantur, indulgere acquiesceret. Sum ipse quoque hanc ipsius magnitudinem animi summè admiratus, cum se orantem, ut saluti Iuvenis consuleret, responso rationis & gravitatis pleno comp. scuit dicens: Nihil referre, uter alterum præcederet, se Nepos, an ipse Nepotem; cum conditione communi in vitam ambo essent ingressi: Præstare, si Nepos Ecclesiæ succumberet causa. Se non posse salva conscientia integritate & dignitate sua, ea efficere quæ postulabantur. Denique, cum hujus rei gratia postea Senas ipse concesserim, ab eo missus; & ea asserem quæ nequaquam viderentur respuenda; nè sic quidem acquievit, sed rigorem constantiamque servavit: ità ut hanc ipsius severitatem plerique carperent, crudelitatemque interpretarentur. Deo tamen dirigente negotia, consilium sententiamque Pontificis approbarunt omnes: dum & ille liber evasit, & sub ditione Ecclesiæ cuncta perstiteret. Præbuit se spectandum populis in celebritate S. Ioannis Baptistæ principali, sedens editiori in loco; & ipse quoque spectans processionis solennia, admiransque magnificentiam singularem atque ordinem; dignam profectò miraculo rem, & quam nisi conspectum, credere quisquam aut capere non posset, longeque difficillimum esset enarrare: Tam multa, tam miranda, tam varia vidimus; nanquè & ipsi cum Pontifice spectabamus; sed ea narranda relinquimus ceteris, ipsi ad contextum narrationis nostræ redimus. Cre-



76  
 brò, dùm adhuc minùs frequens esset Cùria, ipsius Sanctitatem aduimus; & cùm inter familiares sermones de Religionis nostrę dispositione loqueremur, ordinem & modum enutriendorum Puerorum à nobis institutum, vehementer approbavit, atque ita, ut opem quoque ferret, dato in conspectum suę Sanctitatis Marioto nostro carissimo fidelissimoque socio, Puerorum Nutritore, qui breui oratione facta, multum commodè & intente auditus est, & currenti tua sponte Pontifici addidit stimulos, plusque illi placuit nostrum Institutum. Venerat Pisas visitandi Pontificis gratia noster Abbas Florentinus; ambobusque verba de Visitatione à nobis cœpta Vallumbrosani Ordinis fecit, satis admirans; cùm nos rei nobis à se delegatę non istitsemus. Et cùm humiliter: *Inhibitos fuisse*, respondissemus, acquieuit; & *velle se, ut cœpta prosequeremur*, asseruit. Eadem Florentiæ quoque replicavit; neque excusare diutius licuit; sed rem tamèn differre consuld statuimus. Occurrerat Pontifici Pisis Religionis illius Pater, equumque album pulcherrimum, ut gratiam illius emeretur, dono dederat; sed nihil ille decessit sententia, id quod nos Abbati ipsi amicè suggessimus. Cupientem Placidum Monachum, Cubicularium Pontificis adire nostram Heremum, & loca Alverniæ, & Vallumbrosę; impetrata à Pontifice omisione, deduximus. Is mihi, dùm iter ageremus, aperuit; Pontificem, Monasterium nostrum de Rosa propè Senas postulare à mè instituisse, suggestionem suam, & illius applicare Religioni: Verùm cùm, ejusce rei prorsus ignarus, ad Pontificem ingressus fuisssem, incidissetque mentio ipsius Monasterii & me ad ipsum reformandum penitus intentum didicisset ex verbis meis; verbum nullum indè voluisse facere; immò & sibi, post discessum nostrum; quoniam egisset, sciscitanti, respondisse, quænam esset nostra sententia; & inhibuisse, verbum inde ulterius fieri. Venimus prima die ad Monasterium nostrum Sanctę M. susceptique honorificè; postridie, Priore nostro nos deducente, ad Alverniæ montem perreximus; cunctisque lustratis, eadem die Socium venimus; ibique in domo nostra remorati sumus, & sequenti die ad nostrum Monasterium Fontis-boni pervenimus. Ibi susceptus à Marioto nostro Placidus Monachus; ex conspectu Puerorum nostrorum & ordine ac disciplina multum ædificatus, Heremum petiit, ibique biduum sermè remoratus; Heremitas nostros multum hortatus, benè ædificatos reliquit.

*Hactenus exemplar MS. eadem ferme qua gesta hæc sunt, etate peraratum. Reliqua desiderantur, non sine magno illius eiv. Historiarum detrimento, rerumque Viri hujus celeberrimi jactura planè dolenda; quam si quis Codicis locupletioris benefico posset amoliri, & maximam ab Eruditis omnibus gratiam iniret, & Opus hoc non minima forsàn appendice coronaret. In ipsa pergameni voluminis fronte egregie picturata: Ambrosij venerabilis effigies, vel herma potius, intra A principis latera affabrè inclusa, expressaque conspicitur; sacro Ordinis sui Camaldulensis habitu, schemateq; Angelico insignis; vultu gravi ac placide severo plenoq; modestia, cogitabundi ac magna meditantis speciem præferens; leva libro purpureo innixa, vel blandè apprehensum suspendente, dextera exporrectiore, ostendentis in morem. Tu interim his fruers, Lector, ac fave; & inter alia sincera antiquitatis monumenta prælo propediem desponsa, si Deus otia faxit, Ambrosij nostri Epistolas, verè mellitas, verè nomini pares, mox expecta; ad quas etiam Cl. Autorum de præstantissimo hoc Viro Testimonia, plena manu prætexenda, reservamus, quorum hic specimen qualecunque ex quibusdam MSS. duntaxat libris concinnatum, excipe libens, ac benè vale.*

B. ALBERTVS de Sarthiano, cum vita sanctitate, cum eruditione ac laboribus Ecclesiasticis cum paucis avo suo conferendus, Ambrosio synchronus; duo ad Nicolaum Nicololum Opuscula. XI. Kal. Novembris anno MCCCCXXXIII. Florentiam ex Urbino transmittens, adjecta Epistola, de Autore nostro præjudicatissimo ista perscripsit: Tui itaq; ac Ambrosii doctissimi Monachorum, præstantissimo derelinquo judicio perpendendum, utrum ego clamator importunus contra quod oporteat & quod deceat, rectius sileam: nè, juxta Ciceronem, stultitię meę complures domesticos faciam; an vel perexiguus orator, ad scribendum me penitus dedam, ut tandem aliquandò mediocrum eloquentium gregi annumerer, & nostris Christianis hominibus, vel in parvis causis vel in majusculis, possim, consuetudine auctus, & tua frequentiori admonitione limatus, &c.

Ac

Ac nonnullis interpositis eadem in Epistola: Abbatem, inquit, dignissimum, iterum atq; iterum, dico Ambrosium nostram Monachum, religione consortem, ætate fratrem, dignitate parentem, ut meo nomine salutes, ac me illi commendes plurimum, precor; cujus, ut antè dixi, gravissimo iudicio unà tecum, nostra iudicanda committo. In membranæ Epistola est in ordine XXII. è qua plagulam hanc eruditissimo ac summo Viro ANTONIO MAGLIABECHO benignè communicavi optimus ac doctissimus VVaddinghi Continuator P. F. Franciscus Haraldus, cujus item studio ac diligentia ejusdem B. Alberti Opera jandiu optata, quamprimum luce publica potentur. Hujusce porro testimoniij occasione, quo Vir Sanctissimus luculentè etiam Nicolai Nicolii laudes pro merito depangit, Lectorem hinc obiter admonitum velim, Apologeticum brevem à nova manu quantocyus proditurum, quæ hominis Cl. virtutumq; omnium flore vernantissimi nomen vindicetur a falsis omnino calumnijs compertisque mendacijs L. Arretini, alteriusque vel duorum ejusdem surfuris pollicitorum sermone malicia, qui talibus probris obstrepere probatissima ipsius integritati non sunt reveriti, contra innumerabilem planè scriptorum torrentem, quæ Nicolai decora eximij laudum præconijs jure optimè prosequuntur.

COSMVS MEDICES PATRIS PATRIÆ cognomento, quod sibi virtute promeruerat, publico Senatus Consulto decoratus; quam magnificè de Ambrosio nostro sentiret atq; eloqueretur, cum alia testantur, tum potissimum Michaelis Monachi Camaldulensis Præfatio in Epistolas Ambrosij, ejusdem COSMI adhortatione jussuq; à se collectas. Asservantur MSS. in Bibliotheca ejusdem humanissimi ac sapientissimi Viri Antonij Magliabechij; unde nunc librum representasse sat erit, tot planè gemmis, quot COSMI vocibus exornatum: Exegisti à me sæpenumerò pro tua in me benevolentia, COSME, nostræ Civitatis decus atque totius Latij, & virtutis & nobilitatis amplissimum ornamentum; ut nostri Ambrosii, Viri per omnia integerrimi & nostra ætate cum Latina tum Græcæ & Hebræicæ linguæ apprime eruditissimi, Epistolas, passim per Orbem ferè universum dispersas; corpus in unum concluderem: Ajebas enim: Cum constet, doctissimos Viros, qui & sapientia Divina & externa Mundo claruere, habuisse nonnullos, qui dictata eorum memoriæ & literis, summa cum diligentia mandare, curarunt; cur non æquè & nos, quibus potest tot & tam præclara ingenia non defuere, Viri in omne dicendi genere & eruditione admodum exercitati, illorum exemplo provocati, quicquid summo negotio, & subtili ingenio edidere, literis committere posterisque nostris legendum, omni studio, tradere, satagimus? Omitto impræsentiarum narrare Viros doctissimos temporum nostrorum. Ad Ambrosium nostrum oculos dirigamus; cujus ingenium, facilem dicendi copiam, atque eruditionem, quis unquam meritò exprimere atque laudare posset? Sunt enim apud nos Opuscula plurima, & quædam alia, quæ ob incuriam imperitorum depæriere, in Romanam linguam magna profectò cum venustate per eum de Græco turbine conversa. Alia verò ex proprio ingenio elucubrata, ob penuriam notariorum, qui illa colligerent, in manus plurimorum collapsa atque dispersa non ignoramus. Nè igitur tam pretiosus thesaurus absconditus ac ferè sepultus abjectusque negligatur à nobis; in te solùm, qui à teneris annis illius mores, vitam, doctrinamq; sectatus es, meæ mentis oculos conjeci; ut velut industrius negotiator, tanti Viri preciosissimas minutias in unam compagem colligas atque componas. Faciesque profectò rem gratissimam, cum his qui ejus absentiam moleste ferunt; tum Literarum studiosissimis, qui ex sua eloquentiæ venustate plurimum emolumentum tibi vendicabunt, &c.

Benedictus Arretinus in Dialogo suo ad COSMAM MEDICEM, quem pariter MS. videre est in refertissima exporrectaque Bibliotheca ejusdem Doctissimi & præclarissimi Viri Antonij Magliabechij, alibi; de Ambrosio, quo velut colophone ætatis suæ Literarum seriem obsignat, ita profatur: Nec etiam defuerunt, aut nunc quoque defunt eruditissimi Viri, qui in publicis urbium rebus facundi & disertissimi habitus sunt. Et ut intelligas, tempestate ista non defuisse ingenia, si judiciale dicendi genus exerceretur; recordare à multis citrà annis, quot quàm eximij Rhetoricæ artis præceptores per Italiam fuerunt; & ejusdem Viros doctissimos, qui divina eloquentia Orationes, Epistolas innumeras, & libros plures perscripserunt, & Græcorum volumina venustissime in Latinam verterunt linguam. An tibi videntur Leonardus, & Carolus Arretini, Robertus Rufus, Veronensis Guarinus, Poggius, Iannocius

Manentiss. **AMBROSIVI** Monachus, & alii multi (quos ferè omnes vidimus) non supremi  
exstitisse, seu eloquentiæ, seu Literarum, seu Philosophiæ Moralis præcipue consideres &c.  
Ex eadem Bibliotheca præglauatissimi Viri tum eruditione tum comitate incomparabilis  
Magliabechy, gemina Poetarum sequioris ævi lumina, MSS. ex adytis in medium prodeunt,  
quibus engens Auctoris nostri titulis gloriæ jubar affundatur; videlicet

Magister Dominicus To: Florentinus, ex ornatissimo Predicatorum Ordine Theologus  
planè insignis ac præcipuis fuctus honoribus, in quo probitatis cædor animi certavit ingenio: &

Maphæus Vegius Laudensis. Vir sanè morum pietate, doctriinæ elegantia ac dignitatis  
honore venerabilis. Hujus Epigrammatum, inde pridem exscriptorum, editionem adorna-  
mas, Ambrosij nostri laudibus haud expertem, uti subiectum lemma sepulchrale, ex 1.  
descriptam libro perostendit. Prioris verò elegiacum Poema Theotocon inscriptum seu, De  
Vita & Obitu D. Mariæ V. (quod insuper & in amplissima Bibliotheca MEDICE A Lau-  
rentiana, necnon Gaddia, aliisque non secus ac Magliabechia, MS. custoditur) egregie  
quoque de Ambrosio nostro meminisse, nonnullis adis S. Mariæ Angelorum laudibus deli-  
guatis, uti sequentiâ carmina documento sunt. Maphæi versibus è regione subiecta.

Epitaphium Ambrosii Generalis Camauldensis. Theot. lib. iv.

Ambrosius jacet hic Monachorū gloria quō

Flamminei quōdā gloria magna soli. (dām

Clarus is eloquio Grajo, clarusq; Latino;

Quæ poluit studiis clarus & ipse sacris.

Si scripta attendas, fuit haud velocius ulli:

Si vitam, haud ulli micus ingenium.

Funde tuo lachrymas raptō, Camaldula Patri

Paruq; tu gnato, Portice, terra tuo.

Ha! tibi hæc gnato, tali illa orbata parente est,

Qualem restituent tempora nulla sibi.

Poggii effusissima in Ambrosium studia, vel ex edis deprehendere licet, & ex iocū-  
ditis liquidius elucescunt. Atq; ut cetera compendij fiant, MS. in Hypocritas Dialogus,  
id planè evincet, quom typis donandum enixa Gallorum vota nupèr extorserunt ab eodem  
Literarū Literarumq; fautore Cl. Magliabecho: in quo cum Poggius solenni sibi descendij  
quod libeat, ingenio libertatis indulgens, quā plures Venerabiles Viros aceto multo di-  
luent, acriterq; perstrinxerit, à nostri tamen Auctoris laudibus, nec inter scommata,  
potuit temperare; sic enim habet: Quid (Carolus inquit) de nostro Ambrosio judicatis? re-  
cæne an tortuosa philosophabatur via? Nunquid vobis hypocritisim redolebat? Nequaquam,  
Hieronymus inquit. Fuit enim Vir optimus meo judicio ac probatissimus, qui in suo  
Cenobio literis deditus, multa scripsit magna cum laude & doctrina. Summa certe fuit  
præditus humanitate ac virtute. Laudo vitam illius, Carolus inquit; & existimo, extimū  
hypocritisim fuisse, &c.

Ambrosij quoque insigni cum laude meminere Maurus S. Matthiæ Monachus Michael  
Monachus Camaldulensis in Epistolis sui MSS. Paulus Orlandinus ex eodem ordine, Vir  
eruditissimus in Heptateuco suo MS. volumine, quod exscripsit ab anno MDXVIII. & in  
Ambrosij Monasterio S. Mariæ Angelorum asservatur; aliq; per multis egregij ac locuple-  
tes illius ævi Scriptores inediti; quorū iudicia, ne nimietate fastidium Lectori hic ingerant,  
ad Epistolas appendemus. Instar enim omnium tam quæ manu exarata, quàm qua typis  
impressa circumferuntur, esse potest ad hanc pagellam obsignandam, sive dicentis spectetur  
dignitas & auctoritas, sive concepte de Ambrosio opinionis ingenua minimeq; fucata con-  
fessio tot insularios inter ejusdem Laudatores, EVGENII IV. Pontificis O. M. celebrata  
sententia, quæ fingendi nec opus, nec tempus habuit; dum eius primū inaudita morte su-  
bita vi doloris abreptus in lachrymas, & aliquandū quoq; ingemiscens, eum ex nomine  
vocare non cessaret, in has voces identidem erumpens: **AMBROSI**, Fili, quis te mihi eripuit?  
Quis **ECCLESIAE LVMEN**, ad eō intempestivè extinxit?

unt  
ec.  
ilis  
nt,

gus  
&  
ntis  
ca-  
l:  
De  
au-  
gie  
eli.

ai,

era  
n,  
a,

no-  
us,  
em  
ndi  
di-  
ta,  
re-  
da,  
lvo  
fuit  
tia

mael  
Vir  
in  
le-  
nt,  
pis  
ur  
on-  
ata  
su-  
ine  
uit













